Pietas Promota.

SIVE

Collectio, *Novissima Verba* Multorum illius Sectae qui apud Anglos vulgò QUAKERI appellantur, exhibens.

Inseruntur etiam pauca de eorum *in Evangelio* Laboribus, et quae ob illam Causam passi fuerunt,

Linguâ vernaculâ olim à Diversis conscripta et edita, jam verò in Usum *Peregrinorum et Studiosae Juventutis* latinè reddita.

Interprete GULIELMO MASSEY.

LONDINI

Excusa, & prostat venalis apud Assignatos *T. Sowle*, ad Insigne Bibliorum, in Areâ dictâ *George-Yard*, in Vico vulgò vocato *Lombard-Street*. 1737.

BRITISH
MUSEUM

Interpretis Praefatio ad Lectorem.

DUABUS *potiſſimùm adductus eram Cauſis cur hunc Libellum* publici Juris *fecerim. Primò in Votis fuit doctos* Alienigenas *edocere* Dogmata, *et* Facta, *et* noviſſima Verba, *quorundam illius Sectae celebriorum Profeſſorum, quae hodie apud Britannos maximè floret. In his enim Commentariolis videbunt* quâ Animi Conſolatione, et quantâ Salutis aeternae Fiduciâ *Fato ceſſerunt, palàm profitentes ea dogmata, quorum Cauſâ fortitèr Triſtia pati didicerant. Si autem id non ſit evidens* bonae Religionis *ſignaculum, eorum ſaltem eſt amplum Teſtimonium Integritatis, qui eam coluerunt. Altera Res, quam in Animo habui, fuit, ut hic Libellus in Scholis* Societatis noſtrae *Uſui foret ;*

foret ; quippe in ea ſum Sententia, quod idoneus ſit, qui in Manus Juventutis noſtrae ſtudioſae tradatur, et Anglicè, Gallicè, aut Graecè, *aliorum Loco Exercitiorum, quae minùs apta ſint, vertatur. Ad quem Finem magis fui accuratus, in ſeligendis Vocibus et Formulis loquendi* omninò latinis, *quam Plerique ſunt, qui hujuſmodi Argumentum tractant. Quoniam verò haec antea patrio Sermone edita ſunt in grandiori Volumine, cui Index eſt Anglicè,* Piety Promoted, *tantum de Interpretatione et* Propoſiti Convenientia ſupra dicti *Rationem in me ſuſcipio reddendam.*

7 AP 59

G. Massey.

Wandſworthiae in
Agro Surrienſi.
29 Decem. 1736.

De

De GEORGIO FOXO.

GEORGIUS FOXUS *Draytonae* in Agro Leiceſtrienſi, Menſe Auguſto, Anno Domini 1624, natus eſt. Annum agens undeviceſimum, ſuis Penatibus relictis, peragravit totum fermè *Angliae* Regnum, multoſque in eo Populos Dominum quaerentes viſitavit uſque ad Annum Chriſti 1646, cum *praedicandi Munus* publicè ſuſcepit. Miſſus enim fuit à Deo (ſicuti olim fuerant Apoſtoli,) *ut Homines ex Tenebris ad Lucem converteret*; Cunctoſque monuit ut Lucem Chriſti in ſuis Cordibus diligentèr obſervarent. Anno itaque 1648, Conventus haud pauci *Tremulorum*, Ope ejus Praedicationis, in ſacrum Dei Cultum inſtituti ſunt; quo Miniſterio fidelitèr, per Annos quadraginta quatuor, multa diverſi Generis Pericula et Contumelias paſſus, fungi

perſeveravit, quae in *ſuae Vitae Commentariis* fuſiùs exponuntur.

Deus ei longam dedit Vitam, adeò ut quos ad Fidem progenuerat quamplurimos etiam eorum ad tertiam uſque quartamque Stirpem vidit. Porrò impenſiori Curâ laboravit ut illi, qui *Veritatem* amplexi fuerant, eidem adhaererent; atque ob eam Cauſam multas ſcripſit *Epiſtolas*, in quibus inerant praeclarae Exhortationes, et Conſilia de Ritibus et Diſciplinis in Eccleſia Chriſti adhibendis, uti *in Collectione ejus Epiſtolarum* ad Amicos videre eſt.

Evangelium paulò ante ejus Deceſſum, nempe undecimo die Januarii Anno 1690, apud Conventum habitum in *Vico Graminoſo*, cum bono fructu enunciavit; dimiſſoque Conventu dixit ſe gaudere quòd illic adfuiſſet, has atque Voces adjunxit; *Nunc meo defunctus ſum Munere, Nunc meo Munere omninò defunctus ſum.* Eodem Die aegrotare cœpit, et ingraveſcente Valetudine per Biduum apud

Henricum

Henricum Goldney in Area (uti vocatur) *Albi Cervi*, integris Senſibus, placidè et quietè manſit. Quo quidem tempore, quibuſdam Amicis accerſitis, edendorum publicè Librorum Curam ad propagandam *Veritatem* commendavit, et praeſentes in hunc modum allocutus eſt. *Benè agitur mecum*; *Semen divinum cunctis Rebus vel ipſi Morti dominatur.* Quanquam enim Corpore ſim infirmus, tamen *Poteſtas Domini omnia ſuperat*, omneſque Spiritus contumaces ſubigit; quas Voces iterare ſaepe ſolebat; vividus quoque in Fide ad extremum permanſit.

Die decimo tertio Menſis ſuprà nominati, horâ quaſi decimâ poſtmeridianâ, Anno Domini 1690, *placidâ Morte quievit*, circiter ſexageſimum ſuae Aetatis Annum. Teſtimonium Veritati jugitèr perhibuit incorruptum, et Amore et Amicitia cum ſuis Fratribus in Fide arctiſſimè conjunctus Vitam finivit.

De

De Edvardo Burroughs.

IN Regione Brigantium quae *Weſtmorlandia* dicitur *Edvardus Burroughs* circitèr Annum 1635, bonis natus eſt Parentibus. Cum admodùm Adoleſcens eſſet, Scientiâ longè anteibat Annos, atque canis ornabatur Capillis priuſquam ex Ephebis exceſſerat. Bonorum conſors Virorum et optimarum Rerum appetens, Sincerum Dei Cultum *in ſacris Literis* ſcrutatus eſt. Naturâ fuit audax, generoſus, acutus, firmoque Pectore praeſtans, et quicquid facere ſuſcepit, totis fecit Viribus. Omnibus ſe praebuit benignum, placidum, miſericordem atque affabilem; in Sermonibus ſerendis, legendoque ſacro Codice magnam percepit Delectationem. Cum autem Deo placuit in partibus *Angliae* borealibus ſuum viſitare Populum, hic quoque

quoque Christi Servus septendecim Annos fermè natus, (illum movente Domini Spiritu,) missus fuit ad enunciandum *Evangelium* sempiternum, Poenitentiam, Conversionem, aeternam Salutem, et Peccatorum Remissionem in Nomine et Potestate Jesu Christi Hominum Servatoris ; bonus etenim Minister Rei acceptissimae, nempe aeternae Salutis in Plerisque *Angliae* et *Hiberniae* Regionibus fuit. Apud *Scotos* paritèr *Belgasque* ejus Praedicatio erat efficax, adjuvante Dei potentiâ, ad convertendos quamplurimos *ex Tenebris ad Lucem.* Sicut enim *manè* hoc suscepit Ministerium, ita per *Aestum diei* multùm Laboris impendebat in proscindendis duris et incultis Arvis, et saepe quasi inter *Sentes Vepresque* ambulavit, qui crudeliter illum laceratum punxêre, per illos tamen perrupit, contemptis Probris et Contumeliis, quae pro Bono Animarum toleravit. Sedulus suo fungebatur Officio, Horasque quiescendi pauculas sibi indulsit,

dulsit, quippe qui Operibus sacris omninò vacans, *per Annos decem continuos* ne unam quidem Hebdomadam in Negotiis mundanis consumpsit. Omisisse ullam *benefaciendi* Occasionem sibi fuit Dolori ; et quamvis haud multâ *Eruditione*, quam tantoperè plerique extollunt, instructus esset, tamen *eruditam habuit Linguam*, tantamque Experientiam divinae Operationis in Multis Rebus, ut *tempestivè* loqui posset ad Intelligentiam et Conscientiam omnium, quorum Consuetudine usus est ; Oratio enim ejus Beneficium Auditoribus contulit.

Cum undeviginti esset Annorum, scilicet Anno 1654, *Londinum* venit, unusque fuit illorum, qui primum in ea Urbe *Tremulorum* Doctrinam publicarunt; ubi quanquam haud pauci sese obstinatè opposuerunt, Deus tamen ita illius Ministerio aspiravit, ut permulti ab eo converterentur ad meliorem Vitam. *Londini* per Intervalla octo aut novem commoratus

est

eſt Annos, de Regno Dei verba faciens; *Londinenſes* enim maximè coluit, et dicere ſolitus eſt, cum Evangelii Cauſâ Boni malè tractarentur, Libentèr ad *iſtam Urbem* proficiſci poſſum, ibidemque mortem oppetere in Teſtimonium illius Veritatis, quam (impellente et adjuvante Deo) commonſtravi. Quinetiam Anno 1662, Amicos in Civitate *Briſtolij* reviſens, cum jam inde abiturus eſſet, Multos in hunc Modum alloquutus eſt; *Londinum* aditurus ſum, ibidemque Loci unà cum Amicis meis Supplicio afficiendus. Paulò igitur poſtquam in eam reverſus eſt Urbem, è Coetu *Tremulorum juxta Signum penſile Tauri et Oris habito*, à Militibus quibuſdam, Duce *Richardo Brown* Praetore Urbano abreptus, ab eodemque in Carcerem qui Anglicè dicitur *Newgate* fuit detruſus; Non quod aliquid feciſſet Mali, ſed quod in Nomine *Domini Jeſu* praedicâſſet, et Deum ex ſua Conſcientia coluiſſet.

In hoc Carcere unà cum ſexies aut ſepties

ſepties Vicenis ejuſdem Fidei Conſortibus, eandemque ob Cauſam ad tempus jacuit; ex his Nonnulli in Locis fœdis *cum Furibus* concluſi, propter Carceris Anguſtiam, in Morbum incidêre et Fato ceſſerunt; in Numero quorum hic Juvenis erat. Ingraveſcentem ejus Valetudinem patientèr toleravit, atque dies Nocteſque Preces fundens ſemel dixit, Teſtimonium *Domini* erga me Amoris à teneris Annis expertus ſum, ejuſque Voluntatem exequi mihi fuit gratiſſimum; In hac Urbe *Evangelium* à me ſincerè praedicatum eſt, et multoties in ea Cauſa expoſui Vitam. Iterùm dixit, *Nulla Iniquitas mihi proſoribus cubat, ſed Domini Conſolatione laetor, ſentioque ejus Vitam mea Facta comprobantem.* Aliàs Dominum his Vocibus eſt affatus; Tu me dilexiſti, cum in Utero eſſem, atque te dilexi à Cunabulis in hunc uſque diem, et per totam meam Vitam tibi fidelitèr obſecutus ſum. Amicis autem circumſtantibus perſuaſit, ut *in*

Amicitia

Amicitia et pace viverent, atque ſeſe mutuò amarent ; quibus adjecit, *Dominus ſervabit Juſtos à malo futuro.* Quinetiam pro ſuis Inimicis, ſibique ſine Cauſa infeſtis oravit, dicens, Ignoſce,quaeſo,Domine,*Richardo Brown*, qui me in Vincula conjecit ; addens hoc, quamvis haec corporea Moles in Pulverem redigenda eſt, tamen hoc mihi ſatisfacit, quòd Deo jugitèr obediverim ; et ille Spiritus qui in me ſpiravit, et Imperium geſſit, *in Aliis quam plurimis* poſteà eniteſcet.

Manè ejus Diei quo deceſſit, ſuam praeſentiens Mortem, dixit, *Nunc mea Anima Spirituſque Deo intimè fruuntur*, et haec carnis Congeries, unde ſumpta eſt, abibit ; nec multò pòſt divinae conſcius Veritatis ſuam efflavit Animam.

Natus eſt——— 1635.
Praedicare coepit 1652.
Obiit ——————— 1662.

Ejus Opera uno Volumine impreſſa nongentas ferè Paginas *in Folio*, uti dicitur, complectuntur.

De Franciſco Howgill.

FRANCISCUS HOWGILL, Evangelii Domini noſtri Jeſu Chriſti miniſter priſcus, veram amplexus eſt Fidem, Operâ *Georgii Foxi* in illo celebri Conventu, qui Anno 1652, apud *Capellam*, uti dicitur, *Furbankenſem*, in Weſtmorlandia habitus eſt. Haùd multò poſt in valentem evaſit Praeconem, atque *Dei Verbum*, ut acceperat, gratuitò enunciavit. Comes fuit *Edvardi Burroughs* ubi primùm Londinum acceſſit; unde profectus eſt Briſtolium, et peragratis multis Regni Partibus tandem Anno 1652, in *Carcerem Appl'ebeium*, Locum quidem ſitu foetidum conjectus eſt; Sub Finem autem illius Anni è Cuſtodia liberatus, pedibus Iter faciens in Evangelio publicando potens et audax evaſit. Templa publica, aliaſque Congregationes ingreſſus, et Sacerdotes eorumque

eorumque Auditores, Diem Christi instare praemonuit, atque eos ad *Jesum Christum*, suum doctorem Servatoremque direxit. Pedibus venit *Londinum*, comitatus *Johanne Camm*, ut sui Officii *Oliverum Cromvellum* admoneret, statim ut factus est *Protector*. *Edvardum Burroughs* quoque comitavit in *Hiberniam*, ibidemque per multas Afflictiones Christum praedicavit usque dum uterque; procurante *Henrico Cromvello*, expulsus esset.

Posteà in Vincula publica *Londini* conjectus est Anno 1661, cum quintae Μοναρχίας Assertores in Armis erant, sed istius rabidae Seditionis fuit insons; et haud multò post è Custodia liberatus denuò varias Regni Regiones revisens, sacrisque vacans Operibus, non paucos ad Deum convertit. Sub Finem autem quinti Mensis Anno 1663, è Foro *Kendalensi* accersitus est à Magistratibus, qui Juramentum Fidelitatis ab eo exegerunt, quod cum propter Con-

 scientiam

ſcientiam ſuam facere noluiſſet, eum in Carcerem *Applebeium* juſſerunt eſſe mittendum. In Comitiis verò provincialibus, quoniam jurare renueret, in eum à Judice Sententia, quæ dicitur vulgò *Praemunire*, his Verbis pronunciata fuit. " Jam Tu-
" tela Regis Beneficioque Legis pri-
" vatus es; Tuae Haereditates, du-
" rante tuâ Vitâ, in Regium Fiſcum
" addicentur; caeteraque tua Bona in
" perpetuum; Tu verò ad Mortem
" usque Vinculis es detinendus; " Quibus ille reſpondit, hoc equidem ſeverum eſt Judicium *ob meam in exequendis Chriſti Mandatis Obedientiam*; Dominus, quaeſo, vobis omnibus ignoſcat. Judex autem ei dixit, Si Regis Legibus parebis, etiam nunc ſe tibi benignum praebebit. Dominus, inquiebat *Franciſcus*, mihi ſe benignum praebuit; Neque mali quicquam feci in Regem, aut ſuam Adminiſtrationem, idque meum Animum reddit tranquillum; *Chriſti* enim Gratiâ et non ob Flagitium his afficior

afficior Incommodis. Comitiis tandem finitis, Multi Sortem ejus dolebant, ſed ille ſe contentum eſſe, imò guadere ſignificavit, quòd *divinae Veritatis Cauſâ* haberet unde multaretur, atque dignus eſſet, qui propterea poenas ſuſtineret.

In hoc Carcere *Applebeio* quadriennium et ſex Menſes detentus fuit; ejus autem Corpore longâ peregrinatione, multiſque in *Evangelio* Laboribus attrito, variae in Cuſtodia Aſperitates ſuae nocuerunt Valetudini; nihilominùs ejus Afflictionem ad Exitum Vitae patientèr et laeto Animo tulit.

Undecimo Die Januarii Anno 1668, aegrotare coepit, Morteque appropinquante, integris Senſibus, ſaepe ſervente Voce oravit, multaque ad Conſolationem Audientium locutus eſt. Biduo antequam moreretur, ejus *Uxore Amiciſque aſſtantibus*, dixit; Quatenùs, *Amici*, de Verbis faciendis, nihil ferè ampliùs à me expectandum eſt; neque Neceſſe videtur ut de

fide coram vobis, qui nequicquam fluctuatis, differerem. Meo Nomine, Amicis omnibus, qui de me quid rogitaverint, quaeso, *Salutem* impertiatis ; Amicos enim semper charos habui, Alioſque qui Veritatem diligebant ; *Deus* utique ſuum agnoſcet Populum ; quod hucuſque fecit, quodque poſſumus abundè teſtificare ; nam ubi primum *Senatuſconſultum* ad nos ablegandos latum fuerit, quo multi boni Viri indignè vexabantur, *Deus* contra illius Edicti Latores ſuſcitavit Hoſtes, nempe tres magnas Gentes, quae Violentiam eorum fraenârunt. Dico iterùm, *Deus* ſuum agnoſcet Populum, imò Omnes qui ſunt fideles ; quod autem ad me attinet, benè mihi eſt, aequo Animo ex hac Vita migro ; Nihil timeo Mortem. Eſt quidem unum quod mihi nuper in Memoria frequentèr inſedit, de quo ad *Georgium Foxum* Alioſque ſcribere fuit Animus, nempe ut haec aetas abit, quâ plurimi ex noſtris Commilitonibus praeſtantibus intra paucos Annos nobis erepti fuerunt ; quocirca Omnes

noſtrae

noſtrae Fidei Conſortes oportet eſſe vigilantes, et cautos, nè malè audiant apud Poſteros ; paululum enim Temporis, uti videtis, hic nobis commorandum eſt.

Dum aegrotus decumberet, ſaepe dixit ſe velle mori nec imparatum eſſe. Laudibus Deum proſecutus eſt frequentèr, propter Solatia et Beneficia, quae ab illo receperat in eo Lecto (quanquam in Carcere) quo jacuit ; eorumque Offenſam ultrò remiſit omnium, qui illum in Cuſtodiam tradi curârunt ; adjecitque, In *hoc Oppido* primùm Cauſâ Veritatis Vincula paſſus ſum ; atquè ſi hîc mihi propterea moriendum eſt, hoc paritèr aequo Animo tolerare certum eſt. Nonnulli Oppidani melioris notae Homines, putà *Praetor* Aliique ad eum viſendum venerunt, quorum partim ſupplicantibus, ut Deus Ejus Animae pacem impertiret, reſpondit placidè, *Jamjam impertivit* ; ab iis etiam omnibus laudabatur.

Paucis Horis ante ejus Deceſſum, quibuſdam ad eum viſendum ingredientibus

dientibus, Votis fervidis diviniſque obteſtatus eſt, ut Deus ſuâ magnâ Potentiâ eos conſervaret ab omnibus Rebus, quae *Maculam Labemque* ipſis inferrent. Paulo pòſt ſe recipiens iterùm dixit, à Pueritia mea Domini Viam quaeſivi, atque cum Hominibus innocentèr verſatus ſum. Si de meo Exitu ab ullis quaeratur, illis notum ſit me in eadem Fide, quam vivus amplexus ſum, et propter quam ſum multa paſſus, expirare. Haec cum eſſent dicta, pauliſper precatus eſt, et ſuum Curſum in Domino placidè finivit, Menſe Januario 1668. In *Evangelio* elaboravit ſedecim Annos. Opera ejus uno Volumine impreſſa circiter 740 paginas *in Folio* continent.

De Richardo Hubberthorn.

RICHARDUS HUBBERTHORN in partibus borealibus *Agri Lancaſtrienſis* natus eſt. Patrem habuit

buit Agricolam praedicatione Virtutis per Viciniam decoratum. Hic *Richardus* ejus unicus Filius, à teneris Annis Vitiorum fugitans, Pietatique addictus, Dominum timebat, et pro Menſura Lucis et Cognitionis, quam acceperat, in omnibus fidelis erat.

Naturâ fuit comi et modeſtâ, pacemque inter Homines coluit, interdumque apud ſuos pios et ſinceros Sodales concionari ſolitus eſt. Cum verò placuit Deo Populum ſui timentem, in Partibus *Angliae* borealibus ſuſcitare, hic Vir in illorum Numero fuit, quorum Corda Deus primùm tunc temporis ſuâ potentiâ percuſſit ; Multas utique ſubiit Afflictiones, operante in eo Jeſu Chriſti Spiritu, donec eadem Potentia quae percuſſit et interemit, denuò ſanaret et animaret ; Gratiâ quippe Domini Jeſu Chriſti ſuſcitatus *Evangelii aeterni* factus eſt Miniſter, ac proindè divino munitus Robore, per novem continuos Annos, cunctas ferè *Angliae* Regiones

Regiones obivit; ubi quam plurimi Efficaciae et Veritatis ejus Miniſterii, et quàm fidelitèr in Eccleſia Chriſti elaborâſſet, teſtes fuerunt.

Puſillâ fuit Staturâ, Valetudine in firmâ, atque Βραδύγλοσσος; Prudentiâ nihilominùs pollebat, et Tempora loquendi reticendique probè novit. In verbis apud Populum faciendis, ſagaci dilucidoque Vocum Delectu uſus eſt, quae Rem ſuam luculentèr explicuerunt, ejuſque Auditoribus *Gratiam* et *Beneficium* contulêre. Haud facilè Dolore in Rebus adverſis aut Gaudio in proſperis, ſe affici paſſus eſt; de Fide autem, quae olim Sanctis tradita fuit, et quae *per Charitatem* operans potentiâ Dei innititur, pro Viribus certavit.

Inter multos Alios illius Sectae qui vulgò appellantur *Tremuli*, hic quoque ex eorum Coetu juxta Signum penſile *Tauri et oris* habito, propter Dei Cultum captus, atque ad *Richardum Brown* Armigerum delatus eſt; quem ſuis ipſius Manibus verberatum

ratum in Carcerem, qui dicitur *Newgate*, compingi juſſit. In hoc anguſto ſqualidoque Loco in Morbum incidit, Spatioque decem Dierum in pejus augentem, biduo priuſquam deceſſit, Aliquot ex ejus Familiaribus eum inviſerunt, et rogantibus, Utrùm aliquid in Animo haberet cum ſuis Amicis communicandum? reſpondit, tunc non Opus eſſe multis Verbis; ſibi enim certam eſſe *Salutis ſuae* Fiduciam, et habere Pacem in Deo ſempiternam; quippe ſummâ, inquit, cum Familiaritate conjuncti ſumus; et quid de his Rebus poteſt dici ſatis exploratum habemus.

Dum aeger jacuit, ſuum erga Amicos Favorem teſtatus eſt, ejuſque Animo à terrenis avocato, ſaepe dixit, *Divinum Verbum mecum eſt*; et Fidem quae eſt ſalutifera, certam ſecuramque habeo. In omni ejus Languore adeò intùs et in Spiritu invaluit, ut nè Gemitum quidèm duxiſſe per id totum tempus ab ullo obſervabatur. Die Saturni manè, Matrem-familiâs accerſitam

accerſitam in hunc modum allocutus eſt; *Aut Nocte ſequenti aut die craſtino hinc diſcedam.* Proximâ autem die exoriente, Cuidam aſſidenti dixit, nè contendas me detinere; Arctè premor, verùm hâc Anguſtiâ egrediendum eſt; quippe jam ſpatiari licet, et in Locum ſublimem longè ſupra haec omnia tollendus ſum. Die igitur dominico ſub Veſperum, decimo ſeptimo ſexti Menſis, Annoque Domini 1662, *prout ipſe praedixit*, ſuum finivit Curſum. Multos Libros conſcripſit, qui in unum collecti Typis mandantur.

De Stephano Criſp.

STEPHANUS CRISP *Colceſtriâ* in Agro Eſſexienſi oriundus; circiter Annum Salutis 1655, ad Veritatis Cognitionem pervenit, cum eſſet Annorum fermè viginti ſeptem; *Evangeliumque* Jeſu Chriſti ſempiternum

num, per Annos paulò plus aut minùs triginta quinque divulgavit. In illo quidem Officio, pererratis multis Partibus *Angliae*, *Scotiae*, *Belgii et Germaniae* (uti ex ſuae Vitae Diario Typis mandato planiùs apparet,) elaboravit, et multas propter defenſam Veritatem Injurias tulit. Longa illum Experientia reddidit idoneum, qui Omnibus, in omni Vitae Conditione, Admonitionem Conſiliumque daret.

Longorum Itinerum in ultimis ſuis Annis impatiens, *Londini* et *Colceſtriae* Evangelio diſſeminando Operam ſedulò dedit. Dolore Calculi fractiſque Viribus langueſcens aliquandiù laboravit; quatuor circitèr dies antequam moreretur, doloribus miſerè afflictatus, *Georgium Whitehead*, qui ad eum viſendum acceſſit, his Verbis affatus eſt. Finis Mortalitatis mihi ob Oculos verſatur, quem tamen aſſequi non valeo; Deum obnixè rogo, ut ex hoc Corpore variis Cruciatibus oppreſſo me liberaret;

ſi modò Verbum dixerit, hoc fiêt. Nulla meum Nebula Proſpectum obſcurat ; plenam habeo meae Pacis apud Deum *per Jeſum Chriſtum* Fiduciam. Dominus ſcit meam Probitatem, cordiſque Integritatem ; Jeſus Chriſtus, qui mihi Cor purum creavit jam conſolatur me et approbat. Quaeſo ut Omnes in *Eccleſia Dei* Fideles meo Nomine ſalutentur. Alii quoque Amico dixit, *Praeclarum Certamen Fidei* certavi, meum abſolvi Curſum, brevique expecto Coronam illam Vitae, quae mihi reſervatur. Alii paritèr Amico eum viſitanti dixit, *Sequere Veritatem unius Veritatis ergô* ; quae ſicut me ſemper protexit, te quoque ad Finem tuebitur. Duris agitatus Doloribus, cum ſibi ſuccurrere *Sermonem Patientiae* ſenſit, Advigilantes his Vocibus affatus eſt ; *Exercete*, *Amici*, *Patientiam*, ut vos, ſi quando uſus venerit, cuſtodiat. Pridiè quam moreretur, dixit, *Spero*, *Spero*, *Spero*, cum jam vix ſua Verba proferre poterat. *Georgio Whitehead* roganti,

Num

Num haberet aliquid ſuis Amicis impertiendum, hoc Reſponſum dedit *Linguâ haeſitante* ; Omnibus meo Nomine Salutem in Domino impertias. Die igitur viceſimo octavo Auguſti Anno Aerae Chriſtianae 1692, *Wandſworthiae* haud procul à *Londino* Annum agens 64, è vita exceſſit.

De Johanne Crook.

JOHANNES CROOK natus eſt Anno Domini 1617. Veram illam amplexus eſt Fidem, quam *Tremuli* profitentur, ubi primùm in *Agro Bedfordienſi* circiter Annum 1654, promulgata fuit. Vir erat in illa Provincia celebri Famâ, utpote qui *Irenarcha* fuerat. Dominus Jeſus Chriſtus ſuo Spiritu eum *Evangelii* eximium Praeconem reddidit, cujus Myſteria clarè percepit ; ſanamque Doctrinam exhibens, tanquam *bonus Jaculator* collimavit. Annis ſuperioribus

(cum per Vincula non eſſet impeditus) in *Evangelio* publicando multùm ſudavit, ejuſque Miniſterium non pauci comprobârunt. Quemadmodum enim ſacri Officii fieret particeps, ſic quoque ob ſuam conſtantem Fidem diverſis afficiebatur Incommodis, quippe qui *Londini*, *Huntingdoniae*, *Aleſburiae et Gippevici* Vincula paſſus eſt. Porrò, ſicut multa tolervit Injurias propter defenſam Vearitatem, ita inter Hominum Commercia eam Ornavit ; utpote cui divina Potentia, in omni Vita, prae Vana Pietatis Specie fuit aeſtimata. *Sacras Literas* magni fecit, quas diligentèr illi erat Mos revolvere, ut doctrinam in eis exhibitam rectè perciperet, (prout Dominus Intelligentiam dederat) et in omnibus ſanctiſſimè ageret. Suum praedicandi munus Eloquio exornavit, *Allegoriis perſaepe adhibitis*, ſed non eò uſque ut *Hiſtoria Rerum externa* ullo modo everteretur ; maximè verò appetivit, ut Chriſtus *ſpiritualitèr* in Cordibus

Creden-

Credentium revelaretur et formaretur, utque ſui ſenſim ſimiles evaderent ; nam ad id Religionem profitentes Chriſtianam imprimis hortatus eſt, ut *Experientiâ* et *verâ Fide* vividâque in Chriſto obediendo cumularentur.

Priorem Vitae partem in *Agro Bedfordienſi* et Regionibus proximis egit ; poſteà verò in *Agro Hertfordienſi* plurimùm verſatus eſt ; Saepe enim impediebatur quominus longa Itinera ſuſciperet aut à Podagra, aut Dolore Colico, aut Renum Calculo, adeò ut frequentèr diceret ; Saepe vexatus ſum à Juventute meâ. Cum Luctu nonnunquam oppreſſus eſſet, popter Liberorum *Perverſitatem* Animo tranquillo ſe conſolaretur his Davidis Verbis ; *Quamvis non ſit ita Domus mea erga Deum, Foedus tamen perpetuum inivit mecum, ordinatum in omnibus atque firmum. Mei recordatus eſt Dominus, inquit, meam miſerans Adoleſcentiam.* Magnâ uſus eſt Patientiâ in tolerandis Laboribus,

quos in bonum Sanctiſſimè tranſtulit, affirmans, *Fornacem Calamitatis* eſſe utilem ad Scoriam noſtram puriſſimè expurgandum ; atque niſi intùs Domini Potentiam ſenſiſſet, quâ ſuſtentaretur, ſe non poſſe tantas Miſerias patientèr ferre, praeſertim *Dolores Calculi*, quibus ad Vitae Finem uſque fuit excruciatus ; nullam autem Vocem turbidam protuliſſe, aut ſemel impotentèr exclâmaſſe obſervabatur. Cùm verò acres Dolores ſeſe remitterent, *Gaudium ejus et Pacem in Domino*, quibus intùs fruebatur, ſignificavit.

Non ſemel ab illo obſervatum fuit, Multos ex primis verae Fidei Sociis ad plures abiiſſe, nos quoque ad eos properare ; Illi, (inquiebat) priores abierunt, me ponè relicto ; Ego enim, cum velim abire, non poſſum ; prope tamen adeſt, cum mihi ipſi quoque abeundum eſt ; hoc ei fuit Gaudio. Viceſimo ſexto Die Aprilis, Annum agens octogeſimum ſecundum, Annoque Salutis 1699, ſuum

ſuum mortalem Curſum finivit, et *Sewellae in Agro Bedfordienſi* in Coemiterio Tremulorum ſepultus eſt.

De Gulielmo Smith.

GULIELMUS SMITH *Beſthorpae* in Agro *Nottinghamienſi* primitùs Lucem hauſit. Paſtor Congregationis inter *Independentes* aliquando fuit, quorum Doctrinas et Inſtituta religioſè obſervavit.

Veram Chriſti Fidem circiter Annum 1658, profiteri coepit, Evangelioque propagando ſinceram navavit Operam, et Multos ad Deum convertit. Ipſe etiam in Laboribus magnis, Peregrinationibus, Pervigiliis, aliiſque Difficultatibus, quibus ſaepe affectus eſt, praeter ejus *Bonorum Direptiones*, et diuturna Vincula, conſtantem Jeſu Chriſti Miniſtrum ſe praebuit. Cum enim Conſcientiae Cauſâ *Decimas* Poſtulanti perſolvere

perſolvere renueret, in Carcerem *Nottinghamienſem* proptereà conjectus, arctè inter Latrones in Barathro, unam et viginti Hebdomadas detentus fuit.

Alio tempore cum in Vinculis eſſet, Poſtulatione cujuſdam *Dove Williamſon* Sacerdotis *Eltonenſis* pro ſeptem Libris ob Decimas ſolvendis, haudminùs quam quadraginta duae ei Librae per Vim ablatae fuerunt. Quinimò propter profeſſam Veritatem multa alia perpeſſus eſt, quae patientèr toleravit, *Fidem* retinens et *bonam Conſcientiam.*

Dum in Cuſtodia eſſet haùd paucos Libros ad Doctrinam utiles conſcripſit, qui jam in unum collecti imprimuntur; Cum verò Libertate ſuâ frueretur, Tempus in Peregrinationibus, *Creges Chriſti* paſcens et recreans, conſumpſit. Quamvis multoties Valetudine laboraret adverſâ, Cuncta tamen patientèr tulit, *Dei potentiâ* eum fovente, et mirum in Modum adjuvante, cum maximè infirmo Corpore eſſet. In

In ultima ſua Valetudine, Multis, qui ſalutandi gratiâ ad eum venerunt, *ſuo Conſilio* et *divinis Exhortationibus* haùd parùm profuit. Poſtquam per ſeptem Hebdomadas ingenti languore jacuiſſet, acres ejus dolores ſe remittere coeperunt ; ſed multâ oppreſſus fuit Infirmitate, quam quotidiè auctam durioremque forti pectore toleravit. Colligens Animum Cogitationeſque, et Silentio gaudens, pauca Verba fecit, niſi quodam Veſpere, cum permulti *ejuſdem Societatis* in ejus Cubiculo tacitè conſiderent, è Lecto ſuo ad eos converſus *de Amore Dei* prolixè diſſeruit, atque ſe magnâ frui portione *aeternae Salutis* teſtatus eſt, quâ Oratione Aſſidentes reddebantur alacriores. Poſteà eos Dei Gratiae commendavit, et admonuit, ut magis Veritati promovendae quam Cibo quotidiano comparando ſtuderent.

Pridiè quam Fato concederet, omnes ejus Liberos (qui ſex aut ſeptem erant,) accerſitos amiciſſimè hortatus eſt, ut *timerent Deum et Veritatem amarent*

marent, quo Deum ſibi patrem et Beneficum conciliarent. Poſtero Die nempe nono Januarii 1672, Mortalitatem explevit.

De Maria Mollineux.

MARIA MOLLINEUX, cujus Nomen, dum Virgo manebat, erat *Southworth*, Uxor *Henrici Mollineux Leverpolenſis* in Agro *Lancaſtrienſi*, in Juventa ſua adeò Laboravit Ὀφθαλμίᾳ ut ad Puellarum Opera perficienda minùs idonea eſſet. Praeclaris autem Animi Dotibus praedita, et Literarum appetens, Pater ejus curavit ut majori eſſet inſtructa doctrinâ, quàm quae *Sexum ſequiorem* exornare ſolet. In Literis adeò profecit, ut *Linguam Latinam* calleret, et copioſè loqui poſſet; *Graecè* quoque haud parùm fuit erudita. Concinnè etiam diverſis Characteribus ſcripſit, et *Arithmeticam* probè novit; neque aliarum Artium

tium ingenuarum rudis fuit. Operam ſubindè *Medicinae* et *Chirurgiae* dedit ; Naturaeque inveſtigandae ſtudioſa, ejus Opificem, propter varias Potentiae et Bonitatis Operationes pio Corde adoravit.

Veritatem ejusque Cultores amavit ; quam quidem à teneris Annis conquiſivit elegitque, utpote cui Religio externa ſolùm non placuit, ſed illa quae eſt *interna* et efficax ; neque tumuit inani Faſtu, quòd eſſet tantâ Eruditione inſtructa, ſed modeſtiſſimè ſe geſſit. In ſe adornanda, *ſimplici munditie* utebatur, ſuaſque Veſtes magis ad Utilitatem quam ad Speciem factas eſſe curavit. In *ſacris ſcripturis* evolvendis ſe oblectavit ; Saepe ſola eſſe voluit, et ſemel quotidiè à Negotiis Seceſſum petiit. Conventus *Tremulorum* ſacros cupidè frequentavit, Annoque 1684, ob eam Cauſam in Caſtello *Lancaſtrienſi* in Cuſtodiam tradita fuit. Poſteà nupſit *Henrico Mollineux* quem unicè dilexit, ſuoſque Liberos maximâ Curâ enutrivit. Vicinis ſe praebuit

buit benignam, praecipuè Aegrotantibus; aut aliquâ Miseriâ oppressis, quibus Medicamina et Consilium libentèr dedit; Multisque in utraque Conditione haud parùm profuit. Multa tulit Incommoda constanti Animo, cum ejus Maritus in Vinculis esset, quod saepe accidit; pro quo et Aliis secum ejusdem Casûs Consortibus, cum in Carcerem essent conjecti, quoniam Stato Die in *Curia Episcopali* non adfuissent, (licèt tamen Citationem legitimam non habuissent,) ad *N. Stratford Praesulem Cestrensem* supplex accessit; Cujus Operâ effectum est, ut lenito Praesule è Custodia emitterentur. Posteà verò Sacerdote, qui Litem illis priùs intenderat, alteram Citationem minante, hos Versus extempore fecit, quos quidam tunc praesens Scripto notavit;

Quod *Lupus* esuriens faceret pascentibus *Agnis*,
Hoc vobis faciet *Presbyter iste miser*,
Injustus, saevusque rapax, cupidusque Sacerdos,

Non

Non *Animas* Hominum ſed vigil optat *Opes*.

Multa ſcripſit *Poemata*, utpote cui vel Puellae caeleſtia Sacra placebant, *ad Religionem* ſpectantia, quae in Publicum prodierunt.

In Morbum cecidit octavo Die Decembris 1695, quo penè per Menſem conflictabatur; Nono circitèr die quam aegrotare coepit, in hunc Modum locuta eſt; Aequo Animo ex hac Vita, *ſi Domino ita videtur*, migrarem, magno enim excrucior dolore. Quinetiam, neſcio quamobrem, niſi Cauſâ Mariti meorumque Puerulorum (duos enim habuit) in hoc Mundo diutiùs manere cuperem? magis equidem exopto meam Sobolem Timore Domini quam divitiis terrenis maximis eſſe cumulatam. Cum jam ex Morbo imbecillior Torpore teneretur, nonnunquam tamen ſub Veſperum per aliquot Horas continuas Sermonem producere ſolebat; et ſuo dixit Marito ſe eſſe certam, ſi eo Morbo moreretur, quòd *Salute*

 aeternâ

aeternâ frueretur ; aliaſque Voces ejuſmodi adjecit conſolatorias, quae Scripto notatae non fuerunt. Eodem Veſpere eam eſſe moribundam ſuſpicabantur ; cum autem paulò ſe reciperet, *latinè* locuta eſt de ſe in poſterum veſtiendâ ; ex quo judicabant ipſam velle indicare, quòd Dominus ſe Veſtiret, cum Exuvias mortales depoſuiſſet. Roganti eam Marito, ſi quid in Animo haberet dicendum ſibi ut de ſuis Liberis ? *latinè* promptè reſpondit, *Quid talia profers ?* (quaſi omnia ad hoc Seculum quae pertinent, Animo exciderant) nonnè, inquit, intelligis ? Cui ille Imò, te de Rebus coeleſtibus locutam eſſe opinor. Rectè, ſubjecit illa ; Nihil enim de hoc Mundo ampliùs cogito. Mane ſequenti cum difficultèr Spiritum traheret, ſuo Marito ejus Mortem jam metuenti, Amiciſque aſtantibus propter illam nonnihil conquerenti, dixit, *Nè nimis ſolicitus eſto.* Coram aliis, quoties, ſuum Maritum alloqui vellet, Latino Ser-

mone

mone plerùmque utebatur ; et Cuidam interroganti, quomodo ſe haberet ? ſe magis magiſque accedere dixit ; quod cum protuliſſet, ſine Gemitu aut Suſpiriis Animam reddidit 3 Die Februarii 1695. Annoque ſuae Aetatis quadrageſimo quarto.

De JOSIA COALE.

JOSIAS COALE claris parentibus haud procul à *Briſtolio* oriundus, Praedicatione et Operâ illius Servi Dei *Johannis Audland*, circiter Annum 1655. immutabilem Veritatem Animo amplexus eſt ; cum *Verbum divinum* Cor ejus percuſſit, quo Salutem et Redemptionem acciperet. Luctu et Moeſtitiâ ad tempus uſque adeò oppreſſus fuit, ut iis quibus anteà familiariſſimè utebatur, *Spectaculo* et *Stupori* fiebat. Dei autem *potens Gratia*, quae omnem Improbitatem perpurgat, eum reddidit

 purum,

purum, et idoneum ad ſerviendum Domino, ejuſque *Evangelium* utilitèr evulgandum, in quo diligentiſſimè laboravit. Id unum ſtudere videbatur, ut Chriſti Nomen Ore Omnium celebraretur, ejuſque Inimicos pro ſuis habuit.

Cum apud Populos Impietate et Erroribus demerſos Concionem haberet, tanquam *Malleus* aut *Gladius* fuit, utpote quem commovit Ira et manifeſta Potentia Dei, ad concidendas Cedros excelſas et ad dura Robora curvanda; Fideles autem et verae Pietatis amantes, qui prae Rebus celeſtibus *terrena* contemnunt, Verbis mitiſſimis fovit, et Oratione *de Fontibus Vitae immortalis* irroravit. Vehementèr gaudebat de Rebus divinis Verba facere; ex quibus quam plurimi magnum perceperunt Fructum, ejuſque ſalutaris *Miniſterii* participes fûere; Rixarum autem Studioſis, Calumniatoribus, et Diſcordiam inter Veritatis Amantes ſerentibus ſe exhibuit terribilem.

In

In ſuo Sermone quotidiano ſeria adeò miſcuit jucundis, & Gravitatem condivit Alloquio ſuavi, ut Veritati fuit Ornamento, dum eam promovere, ſuoſque Frateres imbecilliores confirmare ſtuderet. Animo fuit conſtanti et intrepido Crucem ſuſtinens ; Nec Edulio ſuae Aetatis praerogativam vendidit ; nullumque Cauſâ Veritatis Diſcrimen adire recuſavit, quam per *Angliam et Belgium* fidelitèr propagavit. Inter Barbaros quoque *Terrae Americanae* Indigenas, Evangelium diſſeminans, multa duriſſima eſt perpeſſus ; Pedibus Iter fecit per horrendas Solitudines à *Virginia* ad *Novam Angliam*, Anthropophagorum, Ferarum, et Serpentium Rabiei obnoxius ; Defatigationem, Frigora et Famen toleravit ; et non ſemel propter magnas Aquas, uvidaſque Paludes in Periculum Vitae adductus eſt, ubi ſe multoties Caſtaneis ſolis miſerè ſuſtentavit.

Bono fuit Exemplo tam *Liberalitate* quam *Fide* ; ſicut enim divinae Veritatis Cognitionem promovere

maximè contendit, ita noluit ejus Causâ Cuiquam esse onerosus; Imò suam etiam *Haereditatem* in Evangelio publicando impendit, atque nihil tanti fecit quam Nomen et Servitium Domini.

Cum jam suas Vires, per duodecim Annos, caelesti Militiae vacans minuisset, tam praedicando Domini Verbum quam receptae Veritatis Asseclas confirmando, in Morbum incidit; Tunc fruebatur tamen suo Intellectu et magno Domini Amore et Afflatu, quo ipse et qui eum spectabant, mirâ Consolatione afficiebantur. *Georgio Foxo* visenti eum tum Lecto affixum, et quaerenti, num aliquid vellet ad Amicos in Anglia aut alibi scribere? dixit, Dominum suâ Potentiâ sibi praesto fuisse dum Angliam aliasque Terras peragrâsset; se autem nihil tum habere quod scriberet; Unum verò est, inquit, quod me angit Animi; nempe, accepi *Loddovicum Muggleton* (blasphemum illum Fanaticum) contra me in solentèr gloriatum esse; ideoque rogavit

Georgium

Georgium Foxum, qui Librum adverſus Muggletonum ſcripſerat, ut pauca Appendicis Loco hac ſuper re adjiceret ; quae quidem verba, adjuvante Dei Spiritu, protulit quaſi omni caruiſſet Infirmitate in hunc modum.

" Quandoquidem accepi *Loddovi-*
" *cum Muggleton*, Expectatione meae
" Mortis ſuperbè ſe gerere, propter
" Sententiam Damnationis ſuam in
" me olim datam, neceſſarium duxi
" ut hoc Teſtimonium de illo re-
" linquam ; nempe *illum eſſe Fi-*
" *lium Tenebrarum et cum Principe*
" *Putei Tartarei Adjutorem, in quo*
" *cruciabitur in aeternum.* Porrò Ju-
" dicium quod de illo olim pronun-
" ciavi, Spiritu domini obſignatum
" eſt ; his enim Verbis uſus ſum ;
" *Nomine illius Dei, qui Coelos palmâ*
" *metitur, et Volâ ſuâ ponderat Aquas,*
" *ligo te hic in Terra, et in Coelo*
" *paritèr ligaris ; Catenis Tenebrarum*
" *ad Judicium Diei terribilis reſervabe-*
" *ris ; Fidemque tuam atque Vires,*
" *quas jactas, aſpernor et ſuſque deque*
" *habeo.*

" *habeo.* Praetereà affirmo *Loddovicum*
" *Muggleton* vatem eſſe falſum in iis
" quae de me praedixit, nempè quod
" ab illa Hora ſemper me Formido
" Damnationis exagitaret, idque
" mihi eſſet Signo me eſſe poenis
" aeternis adjudicatum ;" Haec autem formido nunquam ex illo tempore me exagitavit ; idque ſignum ejus Praedictionem nequaquam ſequebatur, quod quidem eum eſſe Vatem falſum ſatis demonſtrat.

Paulò ante ejus Deceſſum Amicos aſtantes ita allocutus eſt ; ſinceri eſtote, *Amici*, Dei Cultores, nec quicquam vobis ipſis veſtramvè Gloriam quaerite ; Siquid mali inter vos oriatur, Potentiâ divinâ freti, id condemnate, ut coram Domino puri ſitis et cum ejus Teſtimonio in Hominum Cordibus conſentiatis, hinc enim Vita pro Mercede vobis dabitur. Quod ad me attinet, fidelitèr me geſſi in Conſpectu Dei, meoque Munere functus ſum, *divinâque Pace fruor*, atque jam mihi Corona Vitae paratur.

Omnes

Omnes noſtrates meâ Salute, quaeſo, impertiatis. Paulò poſt hoc modo affatus eſt *Stephanum Criſp* ; Meum charum Caput, in Sancto Timore Dei modeſtè vivito ; id tibi erit ornamento ; deinde haec adjecit ; Miniſtro Chriſti vivendum eſt ſicut ipſe vixi ; rogavitque *Georgium Foxum* ut Deum precibus ſolicitaret Εὐθανασίαν ſibi dari ; Torpore tandem gravi oppreſſo Aſſidentes ſuaſerunt ut decumberet ; quo facto, divinâ repletus Virtute, ſenſit ſe Immortalitatem guſtare ; atque ita in Ulnis Amicorum expiravit, illamque Εὐθανασίαν quam modò exoptavit, expertus eſt. Obiit *Londini* Anno Aetatis 36 Annoque Domini 1668.

Multa ſcripſit, quae in unum Volumen compacta veneunt.

De Springetto Penn.

SPRINGETTUS PENN, filius natu maximus *Gulielmi Penn de Worminghurſta*, Annos natus unum et viginti, Diem obiit ſupremum. Per aliquot Menſes priuſquam adverſâ Valetudine teneri coeperit, Seceſſum amavit, et Delectamentis juvenilibus abſtinuit, in ſacris Coetibus etiam Silentio peractis ſaepe in Lacrymas effuſus ; Cum eſſet dubius Animi, Meditationes ad Dominum conſtantèr applicuit, ſaepe preces fundens Deumque Laudibus grato Pectore extollens, atque inter alia quodam Die haec dixit. *Dei Arbitrio, qui optima providet, me commendo* ; Si foret ei gratum, vivere vellem, ut eum purâ Mente colerem ; Tua verò, Deus, non mea Voluntas fiat. Cuidam de Rebus terrenis eum alloquenti, reſpondit, Meus Oculus aliò reſpicit,

reſpicit, undè vera Laetitia exoritur. Alio tempore, patri ejus ad ſacram σύναξιν abituro dixit, Quaeſo mei, Chariſſime Pater, coram Domino memineris; etſi non ſit mihi integrum frequentare Conventus Fidelium, acceptiſſimo tamen Conventu ſaepe fruor; Dominus enim meum Spiritum recreat, ejuſque coeleſti Conſortio, quanquam ſolus, utor. De Vanitate hujus Mundi ſubindè diſſeruit; atque de interno ſuo Foedere cum Domino ſanciendo, eique propter ejus Bonitatem et Amorem erga ſe Grates perſolvit. Oculis in Sororem defixis; ejuſque Manu compreſſa dixit, *Deum*, mea Sororcula, *ſuſpicito*, ſine quo Nihil eſt boni; Unica Guttula *divini Amoris* eſt cunctis Divitiis longè praeſtantior; hunc habeo exploratum, hunc Amorem guſtavi, imò nunquam magis quam in hac Aegrotatione, eum percipere datum eſt. Nocte quâdam cum requieſcere vellet, ſumpto Cibi fruſtulo, in Lecto ſe erexit, atque hunc in modum

modum ardentèr precatus eſt. Deus omnipotens, cujus Filius ſuis Diſcipulis dixit, Quicquid in meo Nomine precibus fidentèr petieritis, id obtinebitis ; per ejus Nomen Te rogo et obteſtor, ut mihi hanc Noctem reddas placidam, atque tuae ſi non obſtet Voluntati, Domine, ut Somnum capiam concedas ; proindè igitur ac petiit *placidè dormïvit*, quod quoque poſtero Die ultrò memoravit.

Cum aliquando dixiſſet, mihi conſtitutum eſt tale factum iri ; ſe ſtatim correxit ; atque multo cum dolore Animi ita exclamavit ; Ignoſce, Domine, mihi temerè et imprudentèr locuto. Nullus ſum ſine te, ex te pendeo, ideoque me dixiſſe oportet, *ſi tibi placuerit ut vivam*, hoc aut illud mihi eſt in Animo facere ; remitte mihi, quaeſo Domine hanc Vocem incautam. Porro, Novercam rogavit, ut de ipſo tali miſello minimè laboraret, ſed potiùs precaretur, ut ipſe viveret ad Deum in poſterum meliùs colendum Fratrem ſeriò intuens, dixit, eſto bonus

bonus Puer ; et ſcito eſſe deum, magnum metuendumque deum, Juſtos remunerantem paritèr atque Injuſtos, ſed eorum Mercedes longè differre. Fuge malos, dilige bonos, tum enim Dominus te amabit. Scio tibi Deum praeſto fore, ſi modo eum conſtantèr timueris ; haec mea dicta fac memineris, cum mortuus fuero, ſi Vitâ frui datum longiùs non ſit. Patri, Fratri, Sororique valedicens dixit, Jam veniat Vita aut Mors, nihil queror ; Quàm *divinus Amor* meam Animam replet ! Ubi ſenſit vires paulatim in ſe deficere, nec quod in Gutture haeſit, ejicere ſeſe valuiſſe, Medicus ſtatim accercitus eſt ; Simul ac acceſſit, Pater, inquit, alloquatur Medicum ; ipſe enim ad dormiendum proficiſcor ; quod fecit, neque poſtea experrectus eſt. Obiit 10 die Aprilis, A. D. 1696. Aetatiſque 21.

De JONA LAWSON.

JONAS, Filius THOMAE LAWSON in *Weſtmorlandia*, Juvenis fuit Ingenio miti et religioſo, maximeque à Mendaciis abhorruit. Variolis correptus, ubi gravitèr aegrotare coepit, ejus Pater eum admonuit de Diſcrimine inter hunc Mundum et Coelum, in quo Gaudia perpetuò regnant ; cui puerulus reſpondit, Imò, Pater, mihi quidem perſuadeo me paucis teneri Culpis, bonamque Conſcientiam habere. Mentiri, aut jurare, agerevè quod malum eſſe ſuſpicabar, mihi ſemper fuit Piaculum. Mori non refugio, ſi Deo ita placuerit, aut vivere ad eum Laudibus proſequendum. Sorori flenti dixit ; Nè fleas, ſpero nos in Loco optabiliori conventuros eſſe. Aliquantò pòſt haec Verba protulit ; Da mihi, Domine, Facultatem tui Nominis

minis laudandi donec in Terris commoratus fuero ; atque ſtatim, quaſi Reſponſum coelitùs accepiſſet, adjecit, O ſuaviſſime Deus ! Paulò antequam Vitâ ceſſit, Patri et Sorori aſtantibus dixit, benè habet, venio, venio ; jam mihi concedendum eſt. Diem itaque obiit ſupremum Viceſimo tertio Die Februarii Anno Aerae Chriſtianae 1683, cum tantum quatuordecim habuit Annos. Poſt ejus Mortem, hoc Tetraſtichon *anglicè* ſcriptum, quod Jonas quondam compoſuit, ejus Pater inter alia reperit, quodque ipſe latinitate donavi.

Mens humilis certae Virtutis principium et Fons.
Sis humilis, ſubitô tunc potes eſſe bonus.
Dilige Virtutem, et Vitium fuge tempore in omni,
Eſt foelix ſanctâ qui valet ire viâ.

De MARIA SAMM.

MARIA SAMM filia fuit *Johannis Samm in Agro Bedfordienſi*, Neptiſque *Gulielmi Dewſbury Varvicenſis*. Cum Annum duodecimum penè impleviſſet, Morbus eam corripuit ; quam ejus Amita videns eſſe moeſtam rogavit, cur toties, dum bonâ uteretur Valetudine, in Horto ſola inambulavit ? Saepe enim in Locis ſolitariis Genas Fletu rigans verſabatur. De hoc, inquit, Amita ſuaviſſima, ſolicita ſum ; *quòd non mihi aeternae ſalutis Fiducia certa conſtet* ; nam meam Triſtitiam Nemo niſi Dominus ſolus cognoſcit, quam ex quo *Varvicum* me contuli, experta ſum ; Hoc me malè habuit, quòd mihi in Animo perſuaſum eſt me haud multos dies eſſe victuram ; atque ſi è Vita diſcederem, neſciebam

quò

quò mea Anima eſſet abitura. Attamen mihi ſpes eſt quod Dominus mihi, antequam moriar, de hac Re ſatisfecerit ; Hanc habeo Spem, propter quam, etſi parum ſit, Dei Nomen Anima mea celebrabit. Poſtero die pleniorem futurae Salutis nacta Fiduciam, quoſdam Famaliares, eam in ſuo Cubiculo viſentes, ſic allocuta eſt ; Bis, meae Vitae Curriculo, prope Mortem fui ; Deus autem miſericors meorum Dierum Numerum ampliavit, ut ejus Vultum Luce Chriſti quaererem, eumque cognoſcerem priuſquam hinc abeam. Si hic Morbus non levior fiat, mihi moriendum eſt ; *Anima verò mea Gaudium aeternum recipiet, Vitâque cum Deo ſempiternâ fruar.* Aliàs dixit, qui diutiſſimè vivunt, plurimis inceſſuntur Incommodis ; Tu igitur, Domine, ſi ita ſtat tua Sententia, me, obſecro, recipias, ut mea Anima apud te quieſcat. Die ſequenti, Omnes ut Cubiculo exirent rogavit ; et aliquantò pòſt Matri

Avoque denuò ingreſſis ſic dixit; *Jam aeternae Salutis Fides mihi certa eſt*; Libentiſſimè moriar, ut Dei Nomen, ſuâ Voluntate de me factâ, clarum reddatur. Subinde à Domino precibus obnixè petiit, ut ſibi non plus imponeret quam ſuſtinere patientèr valeret; dicens, adjuva me, Deus, ut tuam potentiam Laudibus proſequar. Ejus Avo ſuadenti ut quieſceret reſpondit, Mors mihi, Ave chariſſime, inſtat; et non poſſum non Domini Nomen celebrare dum in Vivis agam. Alio etiam Tempore Roganti quomodo ſe haberet? hoc Reſponſum reddidit; Nec hodie nec heſternâ Nocte, quicquam Somni capiebam; Imò ſuſpicabar me eſſe Nocte morituram; aegre quidem hucuſque ſuſtinui; hodie verò mihi certè moriendum eſt; tum Corpus meum in Sepulchro locabitur; *Sed Anima mea Gaudiis caeleſtibus in aeternum fruetur.* Poſt alia quaedam dicta, Amita ejus rogavit, An putaret ſe in illo Lecto eſſe morituram?

ram ? Imò, inquit, in hoc Lecto moriar ; hodie enim mihi moriendum eſt ; nec Mortem reformido, quoniam ſatius eſt mihi mori quam vivere. Paulò pòſt cum et alia quaedam dixiſſet, quota eſſet Hora rogavit ? quâ indicatâ, ſeriùs eſſe, inquit, putabam ; Jam enitar ut paululùm Quiete Somnoque fruar, priùsquam Fato concedam. Ad tempus igitur conſopita placidè dormivit, et ſine ulla Querela tandem Somno ſoluta, haud diu pòſt, die ſcilicet nono Aprilis Annoque Dom. 1680 Annos nata penè duodecim, ſedatâ mente Animam efflavit.

De Andrea Graham.

ANDREAS GRAHAM eâ *Cumbriae* parte, quae *Scotiam* attingit oriundus fuit ; Vir multâ prudentiâ mitique Ingenio, Qui Omnibus inſerviendi ſtudioſus eorum Amorem

rem ſibi maximè conciliavit. Iis temporibus cum Deo mittere placuit Servos ſuos, Nomine *Quakerorum* dictos, ad Evangelium praedicandum in illis Angliae Finibus, cum multis Aliis ipſe quoque Eorum Teſtimonia audivit; Veritatemque quam palàm edocuerunt, amplexus eſt. Quandoquidem verò Populis quibuſdam religioſis fuit tunc temporis conſociatus, aegrè ſe ab illis abſtraxit; et ad tempus dubius quaſi inter utrumque haeſit, donec Dominus eum denuò viſitans ſuis juſtis Judiciis, ad ſe cognoſcendum excitavit; nec *Pace internâ* frui potuit, priuſquam ſincerè et fidelitèr agere ſtatuiſſet quaecunque divinus Spiritus facienda eſſe commonſtrârat.

Ab hoc Tempore, *Sectae Tremulorum* penitùs ſe addixit; praeclarumque inter Homines Exemplum modeſti Animi, Abnegationis ſui, et Patientiae dedit. Exacto autem ferè Biennio, Deus ei partem ſacri Miniſterii tribuit, cui muneri in Eccleſiis

Chriſti

Chriſti per multas *Angliae Scotiaeque* Provincias ſedulò navavit Operam. In illa etiam Congregatione quam frequentiùs adiit, ſuâ Integritate divinâque Conſtantiâ et Labore non paucis profuit, utpote qui ad veram et efficacem Pietatem Homines extimulavit, eos imprimis fovens, qui ſanctam Vitam inſtituerunt, ſicut impiè agentibus plane infenſus.

Repentino correptus Morbo ad breviſſimum tempus decubuit, et has Voces protulit; *Eos video eſſe foelices quibus, Morte inſtante, nihil niſi moriendum reſtat*; hoc enim temporis Articulo Corporis Angoribus conflictari ſufficit; monuitque Aſſidentes Amicos, eodem Spiritûs Affectu quo ſaepe ſolebat, ut conſtantèr in Veritate perſeverarent, divinâque Potentiâ plenus eorum Corda emollivit. Suum mortalem Curſum finivit decimo quinto die Februarii Anno Dom. 1704. ſuaeque Aetatis 62.

De

De Rogero Gill.

ROGERUS GILL *Londinenſis* Veritatem beatam, quam *Tremuli* profitentur, circiter Annum 1683, amplexus eſt. Ante hoc Tempus Religione *Baptiſta* fuit, et priuſquam veram Fidem recepit, ſe pollutum fuiſſe multis Vitiis nefariis agnovit; Potentiâ autem et Virtute Spiritûs Dei ſuum Cor eſſe mutatum et lotum; Timoremque Dei in eo Locum habere, quo ab illis Sceleribus, quibus olim deditus fuerat, ſe ſervari ſenſit.

Aliquot Annis ante ejus Mortem Deus ei *Facultatem Evangelii* Domini noſtri Jeſu Chriſti publicandi conceſſit, quam fidelitêr exornavit, opportunè feſſas Animas alloquens; Fideique promovendae quam maximè Mentem intendit.

Anno 1699, ingens ardor ejus Animum

Animum inceſſit viſendi Fratres Fide ſibi conjunctos in *Terra Americana*, et apud illos Populos concionandi ; eâ igitur Cauſâ adjuncto Comite *Thomâ Story*, (quem idem Ardor inceſſerat) Mare trajecit. Cum verò ibidem paululùm manſiſſent, ipſis nunciatum eſtIncolas *Philadelphiae* in *Penſylvania* Lue quâdam, quae multis Necem intulit, vexari ; quo audito, *Rogerus* dixit ſe ſentire magnam Solicitudinis Molem ejus Animo incumbere, adeò ut nequaquam requieſcere poſſet, donec *Philadelphiam* perveniret. Auctâ jam contagione Aegrotantes domeſticatim viſit, et in publicis Conventibus Conciones habuit, & dixit, quod cum centum Millia Paſſuum abeſſet, tantus ejus in Domino erga eos Amor extitit, ut ſi Alis fuiſſet inſtructus, *Philadelphiam* protinùs advolâſſet. Eâ quoque Tempeſtate, Coetus eorum annuus eſt habitus, quibuſdamque Deum pro Populo deprecantibus, *Rogerus* paritèr Devotione flagranti à Domino petiit

petiit ut Manum ſiſteret, atque ſe ſuamque Vitam libentèr Domino in Sacrificium, ſi acceptum foret, pro Populo offerret. Dimiſſo Coetu, Animum eſſe ſibi Onere levatum affirmavit ; ſtatuitque viſere Amicos *Burlingtonae*, in *Jerſeia-Occidua* ſitaè, circiter viginti millia Paſſuum ab illo Loco diſtantis ; quo Itinere confecto, *Philadelphiam* rediit, ubi in communem Luem incidit, variiſque Doloribus vexatus, venit illi in Mentem ſe anteà Domino libenter voviſſe Vitam ſuam pro Populo ; Aſtantibus etiam dixit, voti quidem mei me non poenitet ; nam etſi multo eſſet in Angore, tamen Mente compoſitâ, ut in vera Fide perſtarent, Amicos hortatus eſt. Deus, inquit, omnia mihi ſecundavit Adverſa, et hanc Aegritudinem dulci Solatio condivit. Quibuſdam de ejus Sanitate, recuperanda colloquentibus placidè reſpondit, Nec puto, nec ſpero quidem me poſſe, ex hoc Morbo convaleſcere, *ſed pro comperto habeo me olim*

olim reſurrecturum, Mercedemque ſecundum Opera mea accepturum eſſe.

Hoc Morbo per ſeptem dies conflictatus eſt, paucisque Horis ante Ejus Exceſſum, Coronae Spectantium tèr ſolennitèr Valedixit, et pacatiſſimè Vitam cum Morte commutavit ſecundo Die Octobris, Anno Aerae Chriſtianae, 1699.

Ex hoc tempore, quod notatu dignum eſt, ſaevire peſtilentia deſiit, perpaucis poſt Mortem *Rogeri* ex ea conſumptis. Obiit circiter 34 Aetatis Annum, Uxore duobuſque Filiis in *Anglia* ſuperſtitibus.

De Roberto Barclaio.

ROBERTUS, Filius *Davidis Barclaii* Tribuni Militum, natus *Edenburgi* Anno D. 1648 Antiquis et illuſtribus apud Scotos Familiis *Barclaianâ et Gourdianâ* oriundus erat. Primis diſciplinarum Rudimentis in

Gallia inſtitutus, ejus Linguae paritèr ac Latinae peritus, cum Annos ſedecim haberet, in *Scotiam* rediit. Hic, Exemplo et Monitu ejus Patris Viri honeſti (qui abſente Filio veram Fidem receperat,) Aliorumque Piorum Hominum Colloquiis inductus in eandem conceſſit Sententiam circìter Annum 1667. *Doctrinamque verae Lucis* omnem Hominem illuminantis non ſolum publicè profeſſus eſt, verùm etiam ſtrenuè et pro Viribus amplificare coepit. Munus Miniſterii pro ſummo Honore duxit; contemptâque Ignominiâ quae ſacrum Officium ferè comitatur, Crucem ſuſtinuit ; et in adducendis ad Deum Hominibus, multùm nec fruſtra elaboravit. In diſputationibus fuit ſaepe exercitatus, Veritatem defendendo praeſertim in ſua Patria, in quibus omnibus lautè ſuam provinciam exornavit.

Apologiam ſcripſit pro Theologia verèChriſtianâ, quam *Quakeri* profitentur, in qua eorum Dogmata fuſiùs explicantur, Adverſariorum Objectionibus plenè et nervoſè ab illo reſponde-

tur,

tur, adhibitis ad Rem dilucidandam melioris Notae Authoribus. Multos alios quoque Libros concinnavit, qui Typis mandati grande Volumen ducentarum triginta Schedarum conficiunt ; ex quibus Pars maxima ad Veritatem, veramque Pietatem promovendam manifeſtè conducit.

Varias *Scotiae* Partes *Angliaeque*, nec non aliquas *Belgii Germaniaeque* Provincias peragravit, quò Chriſti Evangelium Gentibus innoteſceret, praedicans et commonſtrans Viam Domini quatenùs à *Tremulis* exhibitam ; neque ſui Officii coram Hominibus ſe puduit, quod ſano Judicio, Validiſque Argumentis confirmavit. In Laboribus et Injuriis ſubeundis alacer fuit, Ingeniique Suavitatem mirâ Gravitate condivit ; Virum denique doctum, Chriſtiani Nominis Propugnatorem, Verbi potentem praeconem, Filium obedientem, Conjugem amantiſſimum, Patrem Charum, Herum facilem, Amicum certum, totoque Vitae Tenore Exemplar Pietatis ſe praebuit.

Cum omnia haec vera bona impleviſſet, medio ferè in Spatio integrae Aetatis ereptus eſt, quippe ejus Patris tantùm quadriennium ſuperſtes, et infra ejus Aetatem haùd minùs quam triginta Annis, Multis ſui Deſiderium relinquens, deceſſit.

Morbus ejus noviſſimus haud diutinus fuit; *Jacobus Dickenſon Cumbrienſis*, factâ per *Scotiam* Peregrinatione eum Lecto affixum moribundum que viſit. Ille autem, Jacobo aſſidente, eorum Cordibus divino Amore et potentiâ Domini repletis, ſuam erga Fideles in *Anglia* Amicos, qui Vitae integri Veritatem retinebant, Affectum praedicavit; adjecitque, *Georgium Foxum* mihi Virum chariſſimum, omneſque Alios verae Pietatis Sequaces, meo Nomine, quaeſo, ſalutes. Dei Bonitas, inquit, nequaquam ceſſat; quanquam enim magnâ Corporis Infirmitate ſim oppreſſus, *Pacem tamen meum in Animum influere percipio*; Imò quaecunque acerba Deus me pati ſinat, in ejus Gloriam meamque ſalutem haec omnia cedent; haec

Spes

Spes me reficit. Obiit domi ſuae apud *Uriam* in *Scotia*, tertio Die Octob. Anno Domini 1690, ſuaeque Aetatis quadrageſimo ſecundo; ſeptem Liberis nempe maribus tribus, et ſequiorisSexûs quatuor ſuperſtitibus.

De Guliemo Turner.

GULIELMUS TURNER, *de Hitching* in Agro *Hertfordienſi* Veritatem et Juſtitiam à teneris Annis coluit. Cum admodùm Adoleſcens eſſet, Theologo cuidam dixit, ſe divinae et internae Domini Cognitionis eſſe percupidum, ſpirituque Dei ut frueretur, expetere; Theologus ei ſuaſit, ut *ſacras Scripturas frequentèr legeret*; quod quidem nequaquam neglexerat, ſed ſuo non ſatisfecit Animo tantùm legere, quae Deus prioribus Seculis ſui populi Gratiâ egerat, niſi ipſe paritèr Dominum contrectaret et pro ſe cognoſceret.

Deo igitur tandem placuit (qui dives eſt Benignitate) ejus Animae

Votis annuere aperiendo Viam Vitae, Veritatemque monſtrando, qualem profitetur *Secta Tremulorum*, cui Nomen dedit, Operâ cujuſdam *Thomae Green*, cum viceſimum Aetatis Annum penè expleviſſet.

Cum hanc igitur veram dei Cognitionem nactus eſſet, divino Spiritui Obedientiam praeſtare coepit, Veritatisque Cauſâ Bonorum Direptionem, ac grave Carceris Taedium paſſus eſt. Vir fuit Vitâ inculpatâ, Pietatiſque tenax ; et veram Religionem promovere multò magis quam ſuum Commodum ſemper ſibi cordi erat. Veritatis divinae Cultores, ac praeſertim *fidos Evangelii Praecones*, (quos grato pectore benignoque Hoſpitio ſolebat recipere,) quàm maximè amavit ; Quamvis etiam pacis Eccleſiae ſtudioſus eſſet, Licentiam tamen Illorum, qui bonis Inſtitutis perfractè ſe oppoſuerunt, diligentèr repreſſit ; et tanquam ſedulus *Gregis paſtor*, nonnunqnam in Coetibus publicis pauca de Rebus coeleſtibus peroravit, quae quidem ut ab Animo humili

humili ac ſincero provenerunt, *verè Religioſos* haud parvo Solatio affecerunt. Magnis Angoribus et Infirmitate Membrorum diu ante ejus Mortem vexatus fuit, quae omnia patientèr toleravit ; Ejuſque Conjux dixit, ſe non meminiſſe quòd, per totam Valetudinem, ulla Vox temeraria ex ejus Ore proceſſerit ; ſolebat autem dicere ſe ſuis doloribus *non irato Numine* conflictari ; quos enim, inquit, Dominus amat, ſubinde caſtigat. Uxori ejus ſuumque Caſum ploranti, dixit, ſatiùs eſt ut hinc abeam, tunc enim placidè quieſcam, neque ullus dolor me ampliùs laceſſet. Circa triduum priuſquam Fato conceſſit, Liberis arceſſitis haec fatus eſt ; Quod mihi eſt in Animo paucis expediam, ut Animis veſtris inhaereſcat cum hinc abiero ; *Ante omnia Veritatem complectimini, ut Deus vobis divina Munera conferat.* Matrem veſtram diligite, nec quicquam ſine ejus Conſilio aggredimini ; Nullis niſi verae Pietatis Amantibus Matrimonio conjuncti ſitis, Coetuſque Piorum ſolennes alacri

Mente

Mente frequentate. Paulò ante efflatam Animam, dixit, *Nihil jam obſtat quo minùs mihi benè in aeternum foret.* Diem ſupremum obiit ſexto die Martii, Anno Dom. 1704. Aetatiſque ſuae 61, cum unum et quadraginta Annos in Inſtitutis *Tremulorum* perſeverâſſet. Ejus Corpus in Coemeterio, quod apud *Hitching Tremuli* tenent, ſepultum fuit.

De Johanne Tomkins.

JOHANNES TOMKINS circiter Annum 1663, natus eſt. Ejus parentes illius Sectae, qui vulgò *Tremuli* appellantur, fuêre. Patre mortuo, illum tunc puerulum ejus Mater bonis Literis inſtitui curavit ; quam Curam Dominus adeò comprobavit, ut illum in Aetate etiam tenera ad ſui Amorem et Venerationem allexerit. Porrò ſe Matri Filium obedientem Praebuit, ac deinceps per Aetatis Gradus in Re familiari peragenda haùd parùm eam ſublevavit. Ille autem

tem poſteà ſecundas Nuptias fecit, ex quibus aliquot alios Liberos progenuit ; quâ tandem mortuâ, ejus Conjugem Anguſtiis preſſum hic ſuus Gener non ſólùm Spe et Facultatibus fovit, ſed etiam ejus Liberos ſummoperè curavit.

Quinetiam, ſicut ſibi Neceſſitudine conjunctis ita quoque *Evangelii Chriſti Praeconibus Amorem praeſtitit* ; Afflictoſque aut Mente aut Corpore viſitavit, fovit, adjuvit. *Sacras Scripturas* diligentèr revolvit et in Deliciis habuit ; et ſicut auctus eſt Annis, Gratiâ paritèr et Cognitione Domini noſtri Jeſu Chriſti augebatur. In Fide igitur conſtantèr verſantem Domino viſum eſt in ſacrum Miniſterium cooptare, eique Reconciliationis Adminiſtrationem dedit, ita ut doctus miniſter Sermonem Veritatis rectè tractaret. Quin et non ſolum Veritatis divinae erat ſtudioſus, ſed etiam *ſuae Sectae Inſtituta* probè novit, atque ut obſervarentur pro virili contendit. Religionem veram profitentes,

tes, qui non ſincerè et ex Animo agebant, autor erat ut admonerentur et redarguerentur; ut Opera eorum, qui Licentiae aut Infidelitati cedebant, condemnata eſſent; et ſalvâ Societatis Famâ, Dei Eccleſia niteſceret; cujus Faelicitatem exoptans oravit, ut Dominus ejus pauperesPane ſaturaret, Omneſque in ea Lugentes conſolaretur.

Dum Lectulo aeger jaceret, Cuidam quomodò ſe haberet roganti, reſpondit, ſe infirmiſſimum eſſe; Mori autem et hunc moleſtum Mundum relinquere velle, ſi Deo inquit, me nunc dimittere viſum fuerit. Porrò, Amicis circumſtantibus, de Rebus divinis, et Veritate in Terris promovendâ copioſè diſſeruit; dicens ſibi perſuaſum eſſe, quòd Deus populum, Faecibus ex illo repurgatis, Paleâque diſſlatâ, purum habiturus eſſet; atque Cauſas Diſſidii paulatim removeret, magiſque in dies concordes et unanimes Homines efficeret; quòdque Opus Domini inter Mortales procederet

cederet, ejuſque Veritatem per Regna progredientem multae Nationes complecterentur. In hâc, adjecit ille, quidem ſum Sententia, quòd Dominus ſuum Populum reddet faelicem, ac Opus quod in Terris incohavit, perficiet. Tempus eſſe venturum credo, quo tam pauci erunt Sceleſti, quam nunc ſunt Numero pii ; Veruntamen Eccleſiam interim purgandam, Superbiam et Licentiam eſſe amoliendas. Haec atque Alia, *quae haud fas eſſe dictu opinor*, per hanc Valetudinem Vidi.

Saepenumerò bonas Exhortationes aut pia Monita Familiaribus, qui ad eum acceſſerunt, dare ſolebat ; ſuaeque Uxori non ſemel dixit, Mea chariſſima Conjux, Nè plores ; meâ Cauſâ plorare non debes. Illic eſſe cupio ubi *Viribus fatigati quieſcunt, et Impii ſaevire deſiſtunt.* Diſſolvi cupio, et cum Domino Jeſu Chriſto eſſe, Dominus tibi tuiſque Liberis benè conſulet ; Viduae enim, inquit, mihi confidant, pupillos ſuos alam, *Jerem.* xlix.

xlix. 11. Interroganti, num ſuum filium natu minimum (qui aliquot millibus paſſuum tunc abfuit) videre deſideraret? reſpondit eum eſſe parvulum; me quoque vix agnoſceret; Deo optimo maximoque illum committo, qui eum ſoſpitabit.

Quae ſequuntur, multâ Animi Gravitate prolocutus eſt. *Mortem non metuo, Gloriam enim Dei per totam Vitam quaeſivi; Mea Merces apud eum reponitur. In hac Aegritudine mihi fuit praeſidio, ut cum Pſalmiſta dicere queam,* " In Lecto aegrotantem Dominus me " recreavit; Multas laetandi Occa- " ſiones Nocte cum dormire neuti- " quam valeam, mihi largitur." Quantâ pace caeleſti fruor! Quam Chriſtus ſui amantibus eſt placidus? Deus me Adoleſcentulum reſpexit, et illum à teneris Annis reveritus ſum. Cum puer eſſem *vel Calceos Evangelii Praeconum abſtergere gaudebam*; Aetateque provectior magis in colendo Domino et ſerviendo ejus Eccleſiae, quam in Opibus cumulandis me oblectavi.

Pauperes

Cum puer eſſem *vel Calceos Evangelii Praeconum abſtergere gaudebam* ; Aetateque provectior magis in colendo Domino, et ſerviendo ejus Eccleſiae, quam in Opibus cumulandis me oblectavi. Pauperes pro mea Facultate ſublevare et Afflictos erigere, nunquam deſtiti ; Eos, qui in hac urbana Regione habitant, meo Nomine ſalutatos velim. Verbi divini Miniſtris faveo, eorumque Laboribus ; à Deoque precor ut ſancti et puri ſint, ſuis Gregibus Vitae Sanctimoniâ praeuntes. Deum quoque Precibus expoſco, ut Miniſtri juniores omni Virtute ornentur, et tanquam periti Artifices Sermonem Veritatis rectè tractent ; atque inſtar *Benjaminitarum*, (qui olim Funditores erant peritiſſimi) nè pilum quidem aberrent.

Obiit duodecimo die Septembris Anno Domini 1706, ſuae Aetatis 43. Opuſcula quae infra nominantur Anglicè conſcripſit, nempe.

Harmoniam Veteris et Novi Teſtamenti.

Concordantias Biblicas.
Tubae Clarigationem.
Neceſſarium precandi Officium.
Pietatis Promotae Tomum primum, ſecundum, et tertium.

De Aegidio Barnardiſton.

AEGIDIUS BARNARDISTON de *Clara* in Agro *Suffo'cienſi*, proſapiâ oriundus illuſtri et anti quâ, haud ſpernendis Ingenii dotibus praeditus, in Academia publica, Literarum Tyrocinia poſuit. Cum verò ad *Veri Fontem* acceſſit, non ſolum ea tanquam levia deſpexit, verùm etiam publicos Dei colendi Ritus repudiavit, Exemplumque Moſis ſecutus, maluit mala pati cum Populo Deum ſincerè colente (nempe *Tremulis*) quam brevem habere Peccati Voluptatem.

Poſtea Deo placuit ei concredere *Evangelii Diſpenſationem*, et ut doceret planè

planè exigere; quod quidem ad ſuprema ſuae Vitae Tempora, Ratione ſuae Infirmitatis, quam divinae Voluntatis perficiendae minùs habitâ, fidelitèr executus eſt. Cum aliquam Profectionem longam ſuſcepturus eſſet, aut aliuſmodi diſcruciaretur, dicere ſolebat, haec ad breve temqus fore; tum hunc Mundum relinquemus; In Fide autem ad Finem perſeverare cupio, ut à Domino illam Mercedem accipiam, cujus Ergô Viam Veritatis ingreſſus ſum. Niſi enim quòd *Pacem hîc internam, et Requiem cum Deo poſthàc ſempiternam habere laborarem*, Gloriam et Voluptates hujus Mundi, quibus mihi cum aliis frui poteſtas fuit, nunquam abdicâſſem; neque porrò jam Uxorem amantem, et alia quae *Vir bonus* deſiderare poteſt, deſeruiſſem, ni Deo non obtemperare, et ejus Veritatem aliis praedicare, ut Salutem conſequantur aeternam, mihi Religio foret. Propter haec relinquo Patrem & Matrem, Uxorem et Familiam; quicunque

verò alitèr sentiant de me fidisque meis Fratribus, quos Deus ad publicandum inter Homines ejus Potestatem et Veritatem vocavit, longè falluntur, atque velim ut nos meliùs cognoscerent.

In suo *Ministerio* ad Exitum Vitae benè perstitit, ejusque Labores bonum habuerunt Fructum; Multos enim ad Justitiam convertit. Revertens eadem Ministeriam Loca, gravi Morbo implicitus est, quo laborans Dei Beneficia piè memoravit, dicens *Dominum sibi esse in Haereditatem, et se libentèr fato concedere, idque sibi Lucro futurum.* Obiit Undecimo Die undecimi Mensis Anno Dom. 1680.

De Sara Camm.

Sara Camm Filia *Thomae Camm de Cams-gill in Westmorlandia*, decimo tertio die Septembris 1682

1682, in Languorem incidit ; atque Mortem ſibi eſſe vicinam praeſentiens, dixit, *nec metuo, nec recuſo mori, ſed in Dei Voluntate prorſùs acquieſco.* Cum proximos flentes videret, ne id facerent obſecravit. Morbi Acerbitatem creſcentis patientèr ferentem, ſubindè verò Suſpiria alta ducentem Pater ejus rogavit, Annon poſſet Domino ſupplicare ut ſibi ſubveniret ? illa protinùs reſpondit, ſe et poſſe, et reverà ſupplicare ; adjiciens, ſe quoque Fidem habere quod Deus Coeli et Terrae ſuam Animam, poſthabitâ Corporis Ratione, cuſtodiret et ſervaret. Quintâ Die quàm aegrotare coepit majorem ſolito Anxietatem praeferebat, interpoſito autem Spatio recreata videbatur, atque ſe in Lecto erigens laetiore Fronte haec protulit. *Mea Peccata mihi ſunt remiſſa, et in Coelis quietam Sedem obtinebo.* Tum Matrem intuens, dixit, Locus tibi quoque Mea Mater, in Coelis paratur, quem certè aliquando poſſidebis. Tuam Mortem equidem non

exopto, ſed cum Deus voluerit, in Coelis conveniemus. Aſſiſtentes nè plorarent obſecravit dicens, *benè me habeo, benè me habeo.* Pater ejus ab iis, qui aderant, petiit ut paulùm ſecederent, nè perturbarent eam; ſtatim autem revocari juſſit, et adjecit, In horidam Voraginem deſcenſura ſum? nequaquam; *Dominus enim meam Animam redemit.* Suae Sorori haec dixit: Aequo haec quaeſo patiaris Animo; nam mihi jam eſt, et olim benè erit. In Locum proficiſcar laetiorem quam unquam anteà videre contigit; *optimè mihi erit, et omnibus qui deum timent*; nam Gaudio in Coelis aeterno fruemur, cum Sceleſti apud Inferos Poenas diras perſolvent. Sororem flentem conſpiciens, dixit, deſine plorare, ſuaviſſima Maria, nè Dominum ad Iram excites; Ejus Voluntati omninò te ſubjice; Veritati conſtantèr adhaereto, nec tuam deſere Religionem, quâcunque propter eam Injuriâ afficiare. Haùd parvam ex mea Religione capio Voluptatem,

cui

cui renunciare nolim, etiamsi *pane Angustiae et Aquâ Angoris pascerer.* Laudes sint tibi; Deus; Pater Noster, qui es in Coelis sanctè colatur Nomen tuum. atque ita totâ Precatione Dominicâ bis repetitâ; cum tertiâ Vice hanc Petitionem pronunciatura esset, nempe, *Fiat Voluntas tua sicut in Coelis, sic etiam in Terra,* significantiùs protulit, Circumstantibus indicans haec esse apprimè notanda; Laudes, inquit, sint Deo meo; ejus divinae Voluntati in omnibus assentior; Ejus Nomen, Anima mea, Laudibus prosequere.

Ejus Patri in Ulnis eam aliquando gestanti dixit, Quam lenitèr, Charissime Pater, me tractas? Multum Operae in me per hanc Valetudinem contulisti; sed nihil juvat, Nullum Auxilium aut Remedium Terra praebet. *Dominus is est qui mihi mederi potest*; ipse meum Dolorem levabit, aeternamque Requiem tribuit.

Tandem vicina Morti Voce laetâ Familiam salutavit, dicens, Valete omnes

omnes. Poſteaque ſedato Vultu Animoque Deum laudavit, donec Halitum extremum planè efflâſſet. Obiit decimo octavo die Septembris Anno 1682. Cum Annum Aetatis nonum, undecim minùs diebus, impleviſſet.

De Gulielmo Briggins.

GULIELMUS BRIGGINS Londinenſis, circiter Annum milleſimum Sexcenteſimum ſeptuageſimum primum ad *divinae Veritatis Cognitionem* pervenit. Coetus *Presbyterianos* anteà frequentaverat ; et ſub his temporibus, illis qui à publica Gentis Religione diſſentiebant malignè tractatis, quidam Delatores cum ſuis Miniſtris ad Congregationem, cui intererat, venerunt; unde eorum Concionator per Poſticam ſubitò evaſit ; ipſe quoque unà cum Aliis clàm ſe ſubduxit. Tunc inopinata eum inceſſit Cupido adeundi viſum quod

quod *Tremuli* agebant ; Coetumque ſuum in *platea*, uti dicitur, *Graminoſa* habitum continuò adiit, et in Locum ſecretum, conſpici metuens, conceſſit. *Gulielmo Bailey* apud illos concionante, ſtatim Delatores confuſâ Turbâ, Manuque Militum ſtipati irrupêre. Ille quidem expectans hunc Concionatorem furtim, ut alter fecerat, ſe ſurrepturum eſſe, non ſine Admiratione fallebatur ; perſeveravit enim concionari dum in Arcem raptus atque in Cuſtodiam traditus eſſet. Eo abrepto, Alius concionari coepit, quem etiam Milites reverſi Vi avexerunt. His igitûr â *Gulielmo Briggins* animadverſis, planè perſpexit Animo eſſe Veritatem, quod *Tremuli* in medium protulerunt, illoſque probè ſcire, propter quod tot Injurias perpeſſi ſunt.

Inter haec tempora, et Annum Aerae Chriſtianae milleſimum ſexcenteſimum octogeſimum quintum, multa paſſus eſt incommoda ; Bonorumque direptiones ob frequentandum Coetus Dei colendi Cauſâ ; multoſque

per

per Menſes duabus Vicibus, in Carcere, qui anglicè dicitur *The Counter*, et in illo paritèr qui *Newgate* appellatur, detentus fuit; Ubi propter Anguſtias Situmque Locorum, fractus Viribus, ſenſim morbo tentari coepit. Quamvis autem magno afficiebatur Dolore, tamen ad Dominum reſpiciebat; et non ſemel dixit, quod Deus â teneris Annis in illum Diem ſibi benignus fuiſſet; eumque laudabat, quod Cognitionem ſui Filii Domini noſtri Servatoris ſibi revelâſſet, ejuſque Auxilio firmatus eſſet, ut Omnibus faceret, quod ſibi ab Aliis fieri vellet.

Omnes admonuit conſtantèr Domino adhaerere; et quamvis pauca recepiſſent, tamen illis utilitèr auctis Deum plura Talenta eſſe daturum. Ante omnia ſuadebat, ut Homines multis hujus Seculi Negotiis nequaquam ſeſe implicarent; ſed ut Paupertate et Miſeriâ oppreſſis, pro ſuis Facultatibus, ſubvenirent; et quamcunque Sortem Deus daret ferendam,

eâ

eâ contenti forent; utramque enim Fortunam et ipſe expertus erat; adeò ut Dicta Prophetae *Iſaiae*, Capite viceſimo ſexto, verſiculiſque tertio et quarto, vera eſſe cognoſceret. *Cujus Anima tibi innititur, ei dabis continuam Pacem, quoniam tibi confidit; Confidite Jehovae in perpetuum, Jehova enim eſt Numen ſempiternum.*

Porrò, ſi quandò Homines internis aut externis Anguſtiis vexarentur, ſi ad Deum ſubmiſſo Corde piâque Expectatione reſpicerent, eos tempore opportuno ab illis liberaret; quod ipſe, ut tunc aſſeruit, multotiès habuit exploratum. His Cogitationibus gaudebat, ita ut omnia, quae Deus ei accidere permiſit, libentèr et *aequo Animo* pertulit. Ingraveſcente autem Valetudine, Spiritum divinum tanquam Vexillum excelſum ſibi adeſſe ſenſit, ad quod confugiens internas Vires comparavit, et jucundos Sonos in Admirationem Omnium, qui aderant, ſuaviſſimè edidit. Paulò poſt-

rogavit

rogavit ut ipſum attollerent, cum multas divinas Voces protulit de ſua fruendi pace cum Domino Fiducia, dicens Mortem Valentem fuiſſe, ſed *ſeſe tum vividâ Dei Potentiâ muniri, quae Mortem ſubigit*; Deum etiam Laudibus extulit quòd Victor evaſiſſet. In ſacris Literis, inquit, proditum eſt Nonnullorum Hominum peccata perſpicua eſſe, et Judicium antevenire: in nonnullis verò ſubſequi; magno autem Dei Beneficio mea Peccata ſcio eſſe deleta, *et mihi jam reſtare nihil niſi mori faciendum.*

Viſentibus inſupèr ſuaſit, ut Coetus Fidelium frequentarent; atque ſibi in ſuis Dictis Factiſque piè conſulerent; Utque ſuam Spem et Fiduciam in Deo ſolo collocarent, qui tempore opportuno ejus Cultoribus ſemper adeſt. Illos etiam, qui in Cubiculo fuerunt, nomine vocatos, oravit ut Dominus in rectum Tramitem dirigeret, et omni Fidelitate ornandos praeſtaret; atque ut illud eſſe impletum, quod apud *Scripturas* dicitur,

pro

pro ſe cognoſcerent, nempe, Indicavit tibi, O Homo, quid ſit bonum, et quid à te exigat Jehova, videlicet ut aequum facias, et Benignitatem ames, teque ſubmiſſè geras erga Deum tuum ; Quinetiam ut inviſas pupillos et Viduas in eorum Calamitate, et te ſerves à Mundo intaminatum.

Animi compos ad extremum Vitae Spiritum fuit. Cumque plura locutus eſſet, deficientibus Viribus, aliquid Nutrimenti ſibi dari rogavit ; quo facto, Omnibus, qui aderant valedixit, et Capite in Pulvinum depoſito, intra Horam placidiſſimè hanc Vitam finivit, viceſimo ſeptimo die Julii Anno Domini 1688. Annoque ſuae Aetatis 60.

De JOSEPHO GROVE.

JOSEPHUS GROVE, de Parochia vulgò dicta *Rotherhith* in Agro *Surrienſi* Mercator, fuit Filius *Johan-*

nis Grove de Parochia *Mariae Magdalenae*, qui per multos Annos Nauclerus ad *Insulam Barbatam* Navigatione usus est. Hic *Josephus* etiam in eadem Insula haud paucos Annos commoratus est: ubi, perindè ac post ejus in Patriam Reditum sobriè vixit, et benè audivit, quippe qui Veritatem, ejusque Cultores fideles constantèr dilexit.

In posteriore Vitae parte, saepe adversâ Valetudine Doloribusque Corporis fuit afflictus ; sed tamen *non erat immemor conciliandae cum Deo aeternae pacis.* Paulò enim antè ejus Excessum dixit ; Spero me certâsse praeclarum Certamen, et eam jam expecto Coronam, quae mihi (nullus dubito) in Coelis reponitur. *Quàm cupio dissolvi ! Vivere mihi Christus est, sed mori Lucrum.* Ad Uxorem conversus dixit, Quaeso, Charissima, nè me defleas ; nam majore Studio mortem opto, quam cunctas Indorum Opes. Te quidem dilexi, sed & Alius est quem amavi, nempe Jesum Christum

Chriſtum Dominum noſtrum, ad quem abiturus ſum, atque ei Te meoſque charos Liberos commendatos habere velim. Tibi erit Maritus, Amicus, Adjutor, Patronuſque, ſi modò ei adhaeſeris. Quaere et invenies; pulſa, atque tibi Theſauros divinae Sapientiae, pateſaciet; ejuſque aeternâ Potentiâ, ab omnibus, quae maculant Animam foedantvè, conſervaberis. Pro ſua prole adeò Curarum plenus fuit, ut has Voces frequentèr in Ore haberet; *Utinam mei Liberi Timorem Domini eligant!* Magis opto ut id poſſideant, quam quod Terra producere poteſt; In eo inſunt optimae Divitiae, ſummuſque Honor.

Quanquam verò magnum erga ſuam Uxorem Liberoſque Amorem exhibuit, tamen in eis ſolis non continebatur. Dicere enim ſolebat, Quantum Amorem in Animo meo erga Dei Servos habeo! Etſi cum illis in ſuis Coetibus eſſe non valeam, ni-

hilominùs *in meo Cubicu*[illegible] *us*, *ſaepe Praeſentiâ Domini* [illegible] e-dictum ſit ejus nomen ſa[illegible] e-ternum! Utinam Homines eum a[illegible] rent, tunc etenim ſe invicem amare neceſſe eſſet.

Ex hac Vita migravit Die nono Octobris Anno Domini 1714. Annoque ſuae Aetatis ſexageſimo ſecundo. Corpus ejus in Κοιμητηρίῳ quod ad *Tremulos* pertinet in Burgo de *Southwarke*, juxta Vicum, qui vulgò dicitur *Barnaby Street*, magnâ Amicorum comitante Catervâ, decentèr contumulatum eſt.

De Johanne Gratton.

JOHANNES GRATRON Vir fuit haud obſcuri Nominis, qui ſuam Chriſtianam pietatem (quanquam Saepe duris Laboribus et Aerumnis conflictatus erat) in Spiritu Manſuetudinis et Modeſtiae commonſtravit. *Aeterni*

terni Evangelii potens Praeco factus, multos ad Deum convertere nec fruſtrà laboravit. De Rebus divinis magna et praeclara ſibi patefacta fuêre. In docendo verus, atque in dirigendo certus fuit. Vividè et potentèr concionari ſolitus eſt, ſacraſque Scripturas pleniſſimè illuſtrare. In hoc Regno & apud exteras vicinas Nationes ad veram Fidem propagandam multum Telluris obivit ; In Oppido, cui Nomen Anglicanum eſt *Monyaſh* in Provincia *Derbienſi*, quadraginta Annos Domum habuit; quo in Loco Ejus Amici Conſuetudine et Sermonibus ejus haud parùm delectati ſunt ; nam eum ex Animo dilexerunt, Deique fidum Servum vixiſſe et obiiſſe crediderunt.

Iſtâ Hieme, quae Mortem ejus praecedebat, vires ita imminutas eſſe ſenſit, ut ſaepe diceret, ſe non poſſe diu victurum ; tam debili enim fuit Stomacho, quòd per aliquot Menſes parum Cibi retinere valuit. Auctâ etiam Valetudine magis hinc abire,

ſi ita Domino viſum foret, deſideravit ; inſtantèrque petiit à Deo ut ex hoc Mundo eum evocaret, *qui ſibi conſcius erat ſe jam ſuo Munere functum fuiſſe* ; Voluntati tamen Domini obſequeretur. Neptem ejus gravi morbo tunc temporis laborantem frequentèr admonuit, ut Deum timeret et Parentibus obediret, quae quidem caeteris quoque Nepotibus etiam atque etiam injunxit.

Circiter triginta dies, antequam Fato conceſſit, tantâ Feſtinatione ejus Filia fuit arceſſita, ut credebatur haud poſſe vivere donec ad eum accederet. Suos Liberos cum Ancilla flentes invenit, ratos nimirùm eum fermè expirantem eſſe ; eâ verò viſâ, effuſis Lacrymis, dixit, Te, Filia, iterum videre non arbritrabar. Viribus autem paulò refectis, atque Cathedrâ inſidens, Nepotes ſingulatim Nomine vocatos deoſculatus, multa piè admonuit ; et adjecit, ſe magno affici Solatio quod tam concordes inter ſe et amantes alii ab aliis diſcederent. Ancillae

cillae quoque perhumanitèr Viam Salutis commonſtravit, Dominoque commendavit.

Cum multo eſſet Dolore circumſeptus dixit, precor, Domine Deus! ſi ita ſtat tua Sententia, Opem mihi feras, et meam Animam hoc Corpore quam primum liberes; Tu utique Scis nos Spem habere in magna tua Miſericordia; Quaeſo, Domine, meis Liberis, quos ponè relinquo, clementèr adſis, cum omnibus meis Amicis Viciniſque, cujuſcunque fuerint Profeſſionis; Eſt enim Jeſus Chriſtus Advocatus noſter, qui nos praeivit, per quem ad te Acceſſum habemus. Alio Tempore, quibuſdam Amicis, qui ſalutandi Gratiâ ad eum venerunt, dixit, quòd ipſi videbant eum eſſe Morti vicinum; atque ad Aſſidentes converſus adjecit, precor ut Dominus ſuum populum fortunet, et Veritatem apud ipſos adaugeat, in qua ſe invicem diligere poſſunt ac debent; multoſque nominatim ſuâ Salute impertiri voluit.

Paulò

Paulò antequam efflavit Animam, ejus Filiae dixit, jam ſuſpicor me intra Spatium Semihorae hinc abiturum eſſe; Animique compos ad ſupremum Spiritum extitit.

Hanc Vitam finiit *Farnsfieldiae* in Agro *Nottinghamienſi* nono Die Martii Anno Dom. 1711-12. Aetatiſque ſuae 69 atque jam vivit in Coelis, ubi Sceleſti nihil Turbarum faciunt, Piique ſuis Fatigationibus levantur. Undecimo die Martii ſupra dicti ſepultus fuit. Societati *Tremulorum* circiter quadraginta Annos conjunctus fuerat.

De Guliemo Crouch.

GULIELMUS CROUCH, ſicuti ex ſuo apparet Calculo, Die quinto Aprilis Anno Dom. 1628, in Oppidulo, quod vernaculo Sermone *Penton* nominatur, haùd procul ab *Andovia*

Andovia in Agro *Hantonienſi*, primitùs Auram vitalem hauſit. Pater ejus Colonus haud ſpernendis Fortunis, et bonâ Famâ apud ſuos populares fuit ; Atque ejus Mater pietatis amans cum illo populo, qui Puritani eâ Tempeſtate vocitati ſunt, maximè verſabatur. Illa quidem diligentèr admonuit ſuos Liberos, ne Verbis Factisvè malè unquam agerent ; ac ſaepe cum illis in genua flexis Deo preces et Supplicationes fundebat, qua in Re, ſuo Sexui praeclarum reliquit Exemplum.

Deus non ſemèl eum etiam Puerum clementèr viſitavit, et cum aetate proceſſiſſet, à multis Malis, ad quae prona eſt Juventus, ſervatum traxit à pravis illorum Temporum Conſortiis, adeò ut ſe Socium *verae Pietatis* Amantibus adjungeret. Concionibus Praeconum celebriorum, et propter bonos Mores ſpectabilium ſedulò interfuit ; quorum Orationes frequentèr Literis commiſit, domumque rediens eis mirificè affectus Deo gratias

gratias egit. Cum autem neſcius eſſet Dominum ſibi per Spiritum ſuum praeſtò adeſſe, parùm in ſuo Corde Gratiae divinae Incrementi, aut adverſus malos Affectus Virium ſe habere ſenſit: utpote qui ſubindè *Peccati Illecebris, vaniſque Voluptatibus irretiretur*; quae poſteà Animam ſuam punxerunt; Dominus tamen largus Benignitate eum non rejecit, ſed clementèr et patientèr ei Diſciplinae Caſtigationes dedit: quas tandem eſſe Viam Vitae reverà intellexit; Anno enim â natoChriſto 1656, aeternam Dei Veritatem, quam *Tremuli* agnoſcunt, quadantenùs recepit; Cumque eorum Coetus *Londini* habitos nonnunquam frequentâſſet, ibidemque Teſtimonia de eadem Veritate declarata audîſſet, arctiùs eam amplexus eſt; et gradatim omninò perſuaſum habuit Salutem aeternum ſolùm obtineri poſſe credendo in Jeſum Chriſtum, eique fidelitèr obediendo; prout donum Dei et Lux Mundi in Cordibus Hominum πνευματικῶς manifeſtatur.

Cum

Cum autem ſincero Animo veram Fidem recepiſſet, ipſe divino Beneficio adjutus in ea conſtantèr manſit; eamque in Vita et Commercio Hominum, juxta Menſuram ſancti Doni ſibi tributam, palam fecit. Inter Initia Παλιγγενεσίας nequaquam haeſit, (quibus multi ſunt contenti) Sed ope et Auſpiciis ſancti Spiritûs Ἁγιασμῦ Opus, quod paulatim fieri aſſolet, perficere contendit: quippe qui Statum τῆς τελειώσεως ante Oculos habuit, et quem in hac Vita eſſe Dei Gratiâ parabilem cenſuit ab Omnibus, qui eum Fide, Modeſtiâ, Vigilantiâ et precibus aſſiduis conſectantur Jeſum intuentes; ut Ille qui Opus inchoavit, ad Finem perduceret.

Ortis inter Amicos diſſidiis in Gratiam eos redigere, quantum potuit, conatus eſt; Omnibus enim benevolus extitit, eis praeſertim qui Dei amantes videbantur. Divitiarum hujus Mundi Deſiderio nequaquam teneri viſus eſt, Theſaurum enim in Coelo habuit; atque mundanas Opes non

non ultrà aeſtimavit, quàm quòd eſſent neceſſariae ad Vitam et Victum, et ad praeſtandam Egentibus Eleemoſinam. Beneficentia ejus diffuſa et multi faria fuit. Adjuvare Afflictos et Pauperes tum Conſilio tum Pecuniâ minimè detrectavit; nam neque Labori neque Sumptui pepercit, cum Indigentibus ſerviendum aut ſubveniendum putavit. Religionem puram et impollutam, apud Deum et patrem exercuit; *Curam enim geſſit Pupillorum et Viduarum in eorum Calamitate, ſeque intaminatum à mundo cuſtodivit.*

Pauperibus, praeſertim qui propè habitabant magno fuit Adjumento: ac Manibus ſaepe Aliorum uſus eſt in Pecunia Egentibus eroganda; neque Advenam malis oppreſſum, à ſua Janua dimitti inanem voluit. In Juſtitia quoque facienda non minùs conſpicuus quam Pauperibus ſubveniendo, ac Afflictos infirmoſque erigendo fuit; quippe cui Religio erat Fidem datam praeſtare, ſua Compacta perficere, juſta debita

debita ſolvere, Omnibuſque facere quae ſibi ab Aliis fieri vellet.

Qualem ſe in ſua Familia Maritum, Patrem, aut Herum praeſtitit, ejus Liberi Servique, qui ſub ejus Inſpectionepe euliariter fuere ſatis monſtrant ; affirmantes eum, Virtutis ac Pietatis ſingulare Exemplar, in omnibus illis Officiis exhibuiſſe.

Scientiâ divinâ naturalique eum Dominus cumulatiſſimè ditavit, quam per multos Annos congeſſit. Quanquam verò prioribus documentis ſe non ſaturavit ſed Chriſto, qui panis vivus, et unicum Animae immortalis eſt Nutrimentum ; illa tamen Documenta Dei Benignitatis ſibi Gaudio fuerunt, divinitùs nempe renovata, et eum in Aliis admonendis adjuverunt.

Per ejus Valetudinem, quae ſubinde acerbiſſima fuit, utpote qui Calculo Renum per Biennium ante ejus Mortem miſerè laboravit, Dominus ei tantam dedit Patientiam, ut divinae

ejus Voluntati placidè Morem gereret.

Circiter novem Menſes priuſquam Fato concederet, quo quidem Tempore, ſuum Morbum habuit acutum, ejus Uxor ex ſecundis Nuptiis Mortalitatem explevit ; Mulier illa quidem idonea Adjutrix, miti et modeſto Ingenio fuit, atque de Rebus divinis juxtà ſecum ſenſit ; cum qua in Timore Dei ſupra quinquaginta Annos amantiſſimè vixit. Talem amittere Conſortem, de qua hoc reliquit Teſtimonium, *quod multis ſe privare Commodis ut ei inſerviret et placeret, praeter ejus Expectationem ſolita ſit*, haùd parùm eum afflixit. Adeò autem Voluntati ejus Patris coeleſtis acquieſcebat, ut cuncta patientèr ferens ſicuti ſanctus *Jobus* diceret ; Dominus dedit, Dominuſque abſtulit, benedictum ſit Nomen Domini.

Tempore quo hinc abiret appropinquante, ad quod Dominus eum reddiderat paratum, quodque multâ cum patientiâ expectaverat, ſaepe Dei Bonitatem

nitatem erga ſe commemoravit: quod ſuum Animum ad Studia pietatis in viridi Juventa excitaſſet, et ad ultimam Senectutem eum ſervâſſet incolumem ; privatiſque Precibus frequentèr uſus eſt, ut in omnibus Vitae Aerumnis, à Deo optimo maximo ſuſtentaretur.

Divinâ adjutus Gratiâ, ad tantam Animi Tranquillitatem pervenit, ut diceret *Nihil niſi moriendum ſibi tandem reſtare* : atque ſuos conſpiciens Liberos de illo ſolicitos eſſe, adhortatus eſt eos non ejus Vitam expetere; jam enim ſe propter Senectutem et Infirmitatem, praeſtandi ea quae vellet Officia minimè capacem eſſe, *ſuum verò Opus diurnum ſuo Die perfeciſſe.*

Pridiè quam obiret, quidam Familiaris, qui Aegrotantem ſaepiculè viſit, ad eum accedens omninò languentem invenit. Cum verò paululùm aſſediſſet, Aegrotantis Cauſâ Deo ſupplicavit ; cujus Precibus Deus in tantum reſpondit, ut ſentientes Dominum ſuâ Praeſentiâ praeſtò

adeſſe, magnoperè unà laetabantur. Factâ Precatione ſignificavit ſe magno affici Gaudio, per hanc coeleſtem Congreſſionem; Verbiſque utens prioribus dixit, *Nihil niſi moriendum ſibi tandem reſtare*; ſeque expectare ut Deus ex hoc miſerabili Statu vocaret, et *in aeternam Requiem* transferret.

Nocte inſequenti ſuis Liberis, qui aderant more ſolenni valedixit; dicens ſibi eſſe perſuaſum Tempus, quod tantoperè expectaverat, jam tum inſtare, idque ſibi prorſùs eſſe laetabile; cupivitque ut Dominus Εὐθανασίαν concederet, ut ad Ultimum patientèr perſeveraret; Ejuſque Votis Deus clementèr annuit.

De hac Vita migravit decimo tertio Die Januarii Anno Dom. 1710. Annum agens Octogeſimum ſecundum, in Aedibus Generi ſui *Michaelis Lovelli* Londinenſis; Dieque decimo nono ejuſdem Menſis in Coemeterio, quod ad *Tremulos* pertinet in Pago, qui noſtrâ Pronunciatione dicitur *Winchmore*

Winchmore Hill, ejus Corpus, ſuis Liberis multiſque Amicis comitantibus, Sepulturâ honoratum ſolenni fuit.

De Samuele Waldenfield.

SAMUEL WALDENFIELD circiter Annum Chriſti 1652, apud *Villam Fauſtini* in Agro *Suffolcienſi* primitùs Lucem hauſit; et poſtea *Sudburiae* in eadam Provincia aliquandiù vixit. Pietati à ſuis teneris Annis addictus erat, & aliquando Sectae *Independentium*, uti vulgò vocantur, conjunctus. Anno 1670, aut 1671. Inſtructus Operatione Verbi divini, et Praedicatione *Aegidii Barnardiſton*, illius inſignis Adminiſtratoris Evangelii Jeſu Chriſti, Veritatem Chriſtianam fidelitèr amplexus eſt; cujus Potentiam in Corde ſuo ſenſit, eique Obſequium praeſtitit. Hujus etiam coeleſtis Gratiae adhaerens Monitis, ſobriè et piè

Vitam inſtituit, Nominiſque Dei, ſanctaeque ejus Veritatis ſtudioſus extitit.

Deo placuit circiter Annum 1672, in eum conferre *Donum Miniſterii ſacri*, eumque emiſit ad praedicandum Annum Domini acceptum, ut laetam Pacem nunciaret, et Captivis Libertatem per Chriſtum ediceret. Sionis itaque Cauſâ tacere, et Hieroſolymae Cauſâ quieſcere nequaquam potuit, utpote qui magnoperè contendit, *ut Omnes ad Lucem Chriſti accederent*, et Multitudo Maris ad eum converſa foret, Copiaeque Gentium ad eum venirent. Huic autem Operi ſacro libenter Operam poſuit. Veritatis amans et Hominum Saluti aeternae conſulens, *Angliam*, *Scotiam*, *Hiberniam*, *Belgium*, *Germaniamque* peragravit; quibus in Locis, ex gravi ſua Verbi divini Praedicatione, Deo ſuos Labores ſecundante, haud pauci Veritatem Evangelii complexi ſunt; qui è Tenebris in Lucem, hoc eſt, ex Satanae Poteſtate ad Deum converſi, tanquam

tanquam ſui Muneris ſacri Sigillum fuêre.

Veram Pietatem colentes ſincero Corde dilexit, praeſertim eos, qui divino Spiritu afflati publico Miniſterio, in hortandis Sionem contendentibus, et lugentibus allevandis fungebantur. Anno Chriſti 1684, ductâ Uxore *Londini* habitare coepit, et fidelis et ſedulus in eo Opere, ad quod vocatus erat, permanſit; et propter ſuam Fidem Chriſtianam, Squalorem Carceris aliaque indigna paſſus eſt. Cum verò Libertate uti ſuâ potuit, frequentibus Itineribus Eccleſias Chriſti, per noſtram Nationem ſparſas, praecipuè in Partibus Orientalibus viſitavit.

Labores ejus in ſacra Functione et domi et foris gratè accepti fuerunt; Religioſo enim et prudenti Vitae ſuae Tenore, Servatoris noſtri Dei Doctrinam cohoneſtavit: atque in omnibus ita ſe geſſit, uti decuit Miniſtrum Evangelii, illamque Profeſſionem

nem

nem, cujus eſt *Jeſus Chriſtus* ſummus Sacerdos & Apoſtolus.

Animo fuit modeſto et miſericordi, quippe Egenorum Fautor, ad omnia bona Opera paratus, neque Beneficentiae oblitus eſt. In Eccleſia Chriſti Senior erat duplici Honore dignus. Circiter Annum 1607, relictâ Urbe, juxta *Buſh-hill* habitare coepit; Saepiculè enim adverſâ laboravit Valetudine; ſed cum benè ſe haberet, neque peregrè Cauſâ Veritatis promulgandae profectus eſſet, conſtantèr Coetus vicinos frequentavit; ubi in concionando clarus, vividus, et adeò afficax fuit, ut Teſtem divinum in Cordibus Amicorum Aliorumque excitaret. *Neophytis* placidum ſe praebuit, et prout Res exigeret, eos admonere, aut adhortari mente prudenti quaſi Pater Nutritius ſolebat. In concionando frequentèr ejus Auditores excitavit, ſtimulavitque ad talem Vitam, moreſque tales, quales noſtram Profeſſionem decent; affirmans Coetuum Celebrationes, Apparationes

rationes Religioſas, *nudamvè Chriſtianae Fidei Profeſſionem* parùm valere, ubi *pia Vita, ſanctique Mores deſint*; Superbiam autem et Licentiam, maloſque Mores Mutoruum ex iis, qui Fidem Chriſti veram agnoſcunt Verbis, ſibi eſſe dolori magno; Iſtorumque delicta et Pravitates multâ ſe Moeſtitiâ atque Luctu afficere. Magnoperè laboravit Animo ut Veritas praevaleret, ejuſque Teſtimonia in Omnibus Rebus eniterent; ut omnis Licentia, Superbia et Faſtus, Spirituſque iſte veſanus, qui Dei Haereditatem vaſtare ſolet, prorſùs ſupprimerentur; atque ut nulli niſi probi Homines Deum timentes, et ab avaritia abhorrentes, in Eccleſia primas tenerent. In hâc Cura conſenuit; omnes ferventi Animo adhortans ut Vitam piam ſanctamque agerent: et ſua Negotia inter Homines juſtè tractarent, in quibus conſpicuum ſe praebuit Exemplum; ut pote qui verè religioſus erat, Pietatis Cultor, bonis Operibus et Beneficentiâ abundans, datae Fidei obſervantiſſimus

tiſſimus, et in ſuis Negotiationibus Servator Honeſti; ſemperque pati quam inferre Injurias maluit.

Noſtrae ſanctae Religioni magno fuit Ornamento; tum *Divitibus* enim tum *pauperibus*, Veritatis Amorem et Gratiam ſuis Moribus conciliavit. *Pauperes* enim, quibus benignum et comem ſe praebuit, eum dilexerunt; *Divitibus* autem in Honore fuit, propter ejus prudentem et innocentem Vitam, atque ità ejus Conſuetudine familiaritèr uti multùm deſideravêre. Complures quoque, qui anteà *noſtram Sectam* quâdam cum Contemptione praeteribant, poſtquam ſuâ Conſuetudine uſi eſſent, de nobis alitèr ſentire coeperunt. Quas ob res, ſicut vivus plurimi habebatur, ita Mors ejus paſſim Luctui erat.

Circiter duos Menſes elanguit, priuſquam Fato conceſſit; et quamvis multiplici affectus eſſet Dolore, magnâ tamen uſus eſt Patientiâ: atque etiam ſub Exitu Vitae hilari Mente fuit; ablato enim Mortis Stimulo,

Mors

Mors ipsa nullos ei Terrores incussit. Frequentèr significavit *sibi omninò benè esse* : et semèl multis effusis prae Gaudio Lacrymis dixit, *Opus mei Temporis perfeci* ; *Pace internâ fruor* ; Nemini Injuriam sciens feci ; à multis autem affectus fui Injuriâ et Probro, quibus omnibus ignosco ; à Deo quoque precor ut illis ignoscat. Cunctis Mortalibus reverà benevolus morior. Alio tempore dixit, quam pulchrum est mutuam fovere Amicitiam ! cum unà consedeamus tanquam Filii Dei ? sicut Coetus Primogenitorum, quorum Nomina in Coelis sunt conscripta ! Veritas permanebit in aeternum, ejusque Cultoribus Solatio erit ; hanc Deus extollet ; *Hierosolymam* faciet quietam Mansionem, et *Zionem* multarum Gentium Laudem. Suum Nomen Veritatemque extollet in Terris, atque suae Operationi oppositum, quodcunque sit, excîdet. Ecclesiam suam purgabit ab illis, qui sese extollentes, propriâ suâ Voluntate omnia regere velint. Hos

Deus

Deus amovebit Omnes. Innocuè inter Homines et in Conſpectu Dei vivere Curae mihi fuit; jam verò nequaquam me poenitet ità vixiſſe; ſicut enim non eſt mihi de quo gloriari poſſum, ità nec habeo Cauſam lamentandi; Nihil meam Mentem excruciat. Multa alia memoratu jucunda, dum aeger jaceret, coeleſtem Animi Statum exhibens, Aſtantibus protulit, quae hic non referuntur.

Mente itaque compoſitâ, Voluntateque ſuâ in Voluntatem Dei conjecta ad extremum permanſit; et 7 Die Octobris, Anno Chriſti 1715, Vitam cum placidâ Morte commutavit; et procul dubio in aeternae Quietis Sedes intravit, ubi Mercede multorum ejus Laborum, quos Veritatis promovendae Cauſâ ſuſcepit, abundè fruitur.

Ex Computatione ejus Itinerum, quam ad Annum 1700, fecit, illum ferè *quadragies Millies millia paſſuum* ad propagandum Evangelium Chriſti emenſum

menſum fuiſſe apparet, praeter illas Peregrinationes, quas ab Anno 1700, ad Annum 1715, confecit, quae non paucae fuêre.

Corpore ejus *Londinum* ab Aedibus ſuis Ruri delato; à multis diverſarum *Sectarum*, quibus in Vita carus fuit, ejus Funus celebratum eſt, Coetuque priùs habito, prope *Devonſhire Houſe*, *in Agris Bunhillis* honorificè ſepeliebatur.

De Margarita Molleſon.

MARGARITA MOLLESON, Uxor *Gilberti Molleſon* Civis *Abredonienſis* apud Scotos, à teneris Annis Populos quaerebat Pietati addictiſſimos; atque ſe illis in Deo colendo adjunxit, qui tunc Temporis in ea Urbe ob ſuam Sanctimoniam maximè conſpicui fuêre. Attamen viſum eſt Deo, qui ejus Animum

Rebus divinis inhiantem conſpexit, mittere quoſdam ex ſuis Servis fidis probatiſque, Nomine *Quakerorum* inſignitis, ex *Angliâ* in Partem *Scotiae* Septentrionalem, qui ſempiternum Evangelium ibidem praedicaverunt. Inter primos fuit illa illius Gentis, qui eorum Teſtimonia de Verbo divino acceperunt. Cum verò Amorem Dei ineffabilem deguſtâſſet, in eo ſaepe, relictis Rebus domeſticis, meditari in Deliciis habuit. Quamvis autem magnoperè ſuum Maritum dilexit, ſuoſque Liberos (qui novem fuêre) diligentèr curavit, tamen propius ad Deum accedere ſtudebat, quem Animae ſuae laborantis ſummum Oblectamentum exiſtimavit. Propterea igitur publicos Populi illius religioſi (qui *Tremuli* vocabantur) Coetus frequentare coepit; atque Deum privatim precibus adeò aſſiduis imploravit, quòd ejus Maritus (qui non ex Numero *Tremulorum* fuit) dicere ſolitus ſit, Uxoris Genua aſſiduis in-

ter

ter precandum Flexionibus attrita eſſe.

Per Spatium quatuor circitèr Menſium antequam deceſſerit, ejus Maritus cum de Nocte nonnunquam è Somno excitatus eſſet, eam frequentèr Meditationibus vacantem invenit. Poſt ejus Deceſſum quoque Multis, qui viſitandi Gratiâ ad eum acceſſerunt, dixit ſe veram *Mariam Marthamque* amiſiſſe, neminique ſatis eſſe exploratum, quantam fecerat Jacturam, quantoque Dolore ob eam Cauſam teneretur.

Die decimo ſexto Menſis decimi, Annoque Dom. 1669, ubi primùm illuxit, periculoſè Aegrotare coepit, eodemque die ſub Veſperum *in Partu* extincta eſt. Suam Mortem evidentèr praeſenſit, quanquam Medicus qui adfuit, (eam in tanto diſcrimine verſari haud ſuſpicatus) ei dixit, Non eſt quod timeas, meam Vitam pro tuâ ſpondebo; cui retulit, nulla equidem eſt Cauſa cur timeam, ſed, te erraſſe patebit.

Eo tempore, cum Aliquot ex Cognatis Vicinisque in ejus Cubiculo indolerent, fortè inter illos fuit insignis Professor, cui olim Necessitudine juncta fuit, qui circumstantes hortatus est, uti pro ea orarent; quod ipsa exaudiens (quanquam jam tum pro deplorata habebatur) respondit; *Meus Advocatus est apud Patrem, paxque mea facta est. Dapibus vescor, quas Nemo Vestrûm cernit.* Quibusdam dolentibus, quòd esset relictura novem Liberos, qui circum Lectum stabant, ita dixit; *Quotquot ex illis reverà Deum timebunt, eumque sequentur, Re nullâ necessariâ indigebunt*; quod postea omninò contigit. Defixis Oculis in Filium *Gilbertum*, qui tum Puer decem Annorum erat, coelesti Spiritu impleta has Voces protulit, *Pretiosa est Veritas, ei adhaerescito.* Turbam in Cubiculo flentem in hunc Modum affata est; Nolite perturbari, sed Animis tranquillis estote, Finem enim visuri estis.

Cum jam Fructus aeternos Laborum

rum ſpiritualium acceptura eſſet, non temerè declaravit Aſtantibus; *Nunc Perturbatio ceſſura eſt, meumque Gaudium aeternum incipit*; cujus Arrhabonem indubitatum receperat, eumque cunctis Oblectamentis jugitèr praetulerat.

Ejus Vita Moreſque, quemadmodum hic vivendi pius Exitus, non ſolùm *verae Fidei Profeſſores*, ſed etiam alios demeruêre, quibus ſecum ulla intercеſſit Amicitia. Obiit decimo ſexto Die decimi Menſis, Annoque Dom. 1669, circiter Annum ſuae Aetatis quadrageſimum ſecundum.

De Johanne Bowſteed.

JOHANNES BOWSTEED Aglionbiae haud procul à *Carleola* in *Cumbria* natus eſt, Anno Aerae Chriſtianae 1659, admodùmque Juvenis beatam Veritatem amplexus eſt; pauciſque pòſt Annis *ſacri Mini-*

ſterii Donum recepit, in quo ſenſim magnos Progreſſus fecit. Evangelio divulgando Operam poſuit, à Septentrione in partes auſtrales primùm contendens; poſteà verò *Scotiam* et *Hiberniam* peragravit; ubi non ſolùm ſuae Fidei Conſortes viſitavit, ſed apud Alios etiam Conciones habuit; ejuſque Operâ et Praedicatione Multi *ad Dominum converſi ſunt*. Sicut enim Chriſtum Verbis et doctrinâ enunciavit, ita quoque ſuae Vitae Sanctimoniâ, Integritate et Gravitate doctrinam ejus adornavit. Magnâ Conſtantiâ in ſuo Teſtimonio contra iſtam *Decimarum* Oppreſſionem perſtitit, ejuſque Bonorum Direptiones ob eam Cauſam placatè et moderatè tulit. Alios quoque adjuvit, ubi propter ſuam Conſcientiam exagitarentur, iiſque ſiquandò *ad Magiſtratus* traherentur, humanitèr ſe Comitem adjunxit.

Coetus pios Religionis ergô cum ſuis Liberis domeſticiſque (quibus bono fuit Exemplo) diligentèr frequen-

quentavit ; Omnibus benefacere promptus fuit, ſuos autem Amicos ſuae domi libentiſſimè excepit.

In *Miniſterio divino* ejus doctrina fuit ſimplex ſed potens ; Verbum Veritatis rectè tractans, Evangelium gratuitò praedicavit, et pro Fide conſtantèr contendit. Εὐταξίαν in Eccleſiis Chriſti ſtudioſè fovit promovitque ; Omnes dilexit qui verae Fidei virilitèr adhaeſerunt, Infirmoſque confirmare laboravit, jugitèr Commodi Vicinorum Populariumque quibus carus fuit, ſtudioſus.

Afflictos comitèr tractavit ; tam Liberalitatis amans quam Avaritiae alienus ; magnâ uſus eſt diligentiâ cum eſſet peregrè *in ſtabiliendis Eccleſiis* ; et cum domi maneret, uti Familiam ſuam ſuſtentaret ; Cum Hominibus Spiritu contumaci praeditis, cum magna ſatis nonnunquam Difficultate, tamen fidelitèr colluctatus eſt. Tempus ejus Valetudinis breve fuit ; et quamvis gravi Morbo laboraret, Senſus tamen externos et internos ad Finem integros ita habuit,

habuit, ut Rebus, quae ad hanc Vitam pertinent, compoſitis, placido Mentis Statu fruens, iſtius modi protulit Voces caeleſtes, quòd *Pharmacopola*, qui ei miniſtravit aegrotanti, (quanquam aliam Religionis Formulam profeſſus) dixit, *ſe cum hominibus diverſarum Opinionum multis fuiſſe, ſed nunquam tales Voces audiviſſe*; Aliquot Amicis eum viſitantibus dixit, O quam recreatus ſum Animo, quoties cum illis, qui ſunt puro Spiritu, verſer! adjectis etiam aliis magni Momenti Sententiis.

Cum perciperet Tempus ejus Deceſſûs inſtare, deſideravit ejus Uxorem videre; (quae tunc quoque Febre tentabatur;) poſtquam ad eum delata fuit, mutuò ſibi valedixerunt; et tum circumſtantibus dixit ſeſe illos relicturum eſſe; pauloque pòſt tempore placidè Mortalitatem explevit, triceſimo die ſecundi Menſis Annoque Dom. 1716. Paucis pòſt diebus in Coemeterio, quod *Scotiae* Tremuli poſſident, multis ejuſdem Societatis Aliiſque

Aliisque Funus comitantibus, decenter Humo conditus est. Anno Aetatis 57. Sacri Ministerii 35.

De Thoma Hains.

THOMAE HAINS, Filius *Thomae Hains Hannaeque* ejus Uxoris de *Burgo Southwarke*, in illis Institutis, quae Tremuli profitentur, à Parentibus educatus est. Aliquandiù sub *Richardo Scoryer*, qui *Wandsworthiae* Scholam habuit, bonis Literis Operam dedit. Filium pium se exhibuit, utpote qui Timorem Dei Corde suo sensit, adeò ut per totam Valetudinem, magis tanquam *Hominem* quam *Infantem* (quo seipsum vocitavit Nomine) se gessit. Sedulò cavit nè unquam ullam Voculam inanem proferret. Si quando quidpiam sibi oblatum recusâsset, instanti respondere solebat, num vis me mentiri? Semél rogatus aliquid ut acciperet et sci-

sci-

ſcitanti, an alio tempore ſe id acceptu-
rum promitteret, dixit, Quî ſcirem
quid ſit futurum ? Cum recreatus ab
iis eſſet quae ceperat, ex Animo Gra-
tias egit. Sicuti Amorem et pium
Affectum ejus Parentum erga ſeſe ma-
nifeſtum haberet, ita multoties id ip-
ſis declaravit ; Ejus Aegritudinem
patienter toleravit, atque non ſemel
ſe velle mori ſignificavit, dixitque Sa-
tiùs eſt mihi mori quam vivere ; *hic
Mortalium Status Aerumnis ſcatet.* De-
bemus igitur quotidiê, imò ſingulis
momentis Dei memores eſſe. Paucis
ante ejus mortem Diebus laudando
Deum his Verbis uſus eſt ; Tu es
Deus Amoris et Miſericordiae ; Cor-
da tui Amantium, Corda te quaeren-
tium cognoſcis. Recordare, Domi-
ne, tuum populum. Corda Impio-
rum, Corda Sceleſtorum tibi ſunt
explorata ; Liberos enutriviſti et edu-
cáſti, qui tibi ſunt rebelles. Verba
quoque fecit de Cura immortalis
Animae ab Omnibus habendâ, qui-
netiam de Nunciis Evangelicis à
Domino emittendis. Suam de fu-
tura

tura Vita Fiduciam aliquando exprimens, adjecit, *Quam glorioſum! Quantum Gaudij! Venite Parentes, imò adveniant omnes; Coelum eſt Locus peramoenus, ubi nallae ſunt Lachrymae, Nullus dolor.* Precibus ad Deum factis, in hunc Modum peroravit; Dignus es Laude et Honore et Gloria; ad te enim haec attinent in Aeternum, Coeli utique totiuſque Terrarum Orbis dominum. Quibus peractis adjecit, Infantulus Sum, ſine te nihil facere poſſum. Aliquandò quoſdam Amicos, qui ejus viſendi Cauſâ advenerant, rogavit ut pro ſe apud Dominum Vota funderent. Poſtridiè quòque cum Orationem Dominicam repetiiſſet, exclamavit dicens, quam pulchrum eſt Deum propitium habere! Cum jam eſſet Animam efflaturus, *Pater*, dixit, *quaeſo miſereſce mei*; *ſine me mori*; quâ Voce cum ſemel et iterum uteretur, ejus patri qui adfuit, eumque quid vellet roganti reſpondit, non te, ſed Patrem meum coeleſtem alloquor. Aſſiſtentes exhortans, ut

ipſum

ipſum quiescere ſinerent, ſignificavit ſe multum divini Gaudij habere, Dominum tacitè celebrando. Paucis Horis antequam ex hac Vita migravit; Venio pater, Venio, dixit. Penè tandem emortuus, Voce debili protulit, *Deus eſt meus Pater*; atque ita tanquam Agnus tenellus placidâ Morte quievit duodecimo die, 12 Menſis, Annoque Domini 1700, novem Annos tantùm natus.

De Benedicta Fenn.

BENEDICTA FENN, Filia *Joſephi* et *Patientiae Fenn* de *Corcagia* apud *Hibernos* primitùs Lucem vidit, octavo die quarti Menſis, Annoque poſt natum Chriſtum Milleſimo ſeptingenteſimo. Puella erat Corpore debili (et per aliquot Annos Morbis admodùm obnoxia) vivido tamen peracutoque Ingenio. Dum rectè valeret, magna ex parte quibuſdam Negotiolis

gotiolis aut utilitèr aut innocentèr Operam dedit, utpote quae Segnitiem prorſus reſpuit. In evolvendis *ſacris Literis*, aliiſque bonis Libris haud parùm delectationis habuit; atque frequentèr inter legendum Loca magni Momenti annotavit; de quibus poſtea à Matre ſeriò quaerere ſolebat. Pia fuit erga *Parentes*, Matriſque praeſertim, cui Valetudo ſaepe fuit adverſa, imprimis ſtudioſa. Amicos dilexit honeſtos; ſed cum videret Aliquos, divinam Veritatem profitentes gerere ſe perperàm, ſeriò doluit. Mater ejus aliquot Hebdomadis priuſquam deceſſit, eam deferri curavit ex Urbe ad vicinam Habitationem, ut Aere liberiori frueretur, ubi ad Finem mortalis ſtatûs manſit. Tempore Valetudinis erga Matrem ſe praebuit humaniſſimam; et Saepe ſuum Languorem celavit nè Matrem ea Res Dolore afficeret. Acuti dolores, cùm gravitèr affecta eſſet, in Cauſa fuerunt cur aliquando ſe maceraret, et Nutrici quae ei miniſtrabat ſubi-

raſceretur, ſed citò gemens ſe corrigeret, ac Nutrici diceret, *nè moleſtè feras, quaeſo, quae dixi, te enim plurimùm diligo.* Familiaritèr cum eadem nonunquam Verba fecit, eique bona Conſilia dedit. Non videbatur praevidere ſuum Exitum tam prope adeſſe, niſi Manè ejus Diei quò deceſſit ; tunc enim Matri quandam mutationem in ejus Vultu obſervanti et roganti, num ſuam Matrem aequo Animo relinqueret ? reſpondit, *quicquid Dominus velit.* Matre autem dicente, durum hoc ſanè eſt te à me avelli; paululùm quieſcens haec adjecit ; *Maximè quidem ſum infirma, Deus autem poteſt me tibi incolumem reddere.* Plura inſuper dixit huc ſpectantia, quae adeò dixiſſe creditur ut Mater minùs Triſtitiâ afficeretur. Matri ſciſcitanti, ſi vellet Amicum quendam videre, cujus adventus ad Urbem jam tum expectabatur ? reſpondit, imò verò, et ullum alium honeſtum Amicum. Inclinato jam die, duo Amici venerunt ad eam videndam, quae in

Cubi-

Cubiculo cum ſua Matre erat; Nutrice autem ad Lectulum in quo jacebat aſſidente, dixit ei, *crediſnè*, Nutrix, *me victuram eſſe ad craſtinum Diem*? cui Nutrix reſpondit, imò, multò diutiùs; nequaquam poſſum ſubjecit illa; ſtatimque exclamavit, adjuva me, Domine! adjuva me Domine! hoc audito, Mater continuò ad eam acceſſit et rogavit, quid Rei eſſet? illos verò duos Amicos ad Lectulum accedentes conſtanti Vultu intuens, precamini, inquit, pro me Dominum, ut mihi det *brevem et facilem Tranſitum.* Unus ex illis dixit, longum tempus meditationis habuiſti. Nunquam, inquit, cum proſperâ uterer Valetudine Voluptatibus indulgebam; haec ubi protuliſſet, mortiferis correpta Cruciatibus, iterum eoſdem rogavit, ut peterent à domino pro ſe *brevem et facilem Tranſitum.* Unus ex Amicis dixit, Tempus à Deo praeſtitutum expectandum eſt, idque, inquit, ſuſpicor propè adeſſe. Matri interroganti ubi Dolor ejus erat? reſ-

pondit per totum Corpus ; et hoc adjecit, *Domine, da mihi ut patientèr feram* ; Saepe autem rogavit, annon hoc diuturnum erit ? paulò poſt Angoribus nonnihil ſedatis, magis compoſita, Oculis clauſis jacebat ; cum verò iterum Oculos aperuiſſet, Amicus adſtans ei dixit ; Somno paulùm indulſiſti ; nequaquam, inquit ; *dulcedinem verò guſtabam.* Poſtea aliquantò, recrudeſcente Dolore ſed haud violentèr, Matri roganti, an in Votis haberet, ut patrem videret ? imò, inquit, ſi modò protinùs adveniat. Pater ejus arceſſitus, unà cum quibuſdam Cognatis, citò venit ; et ſuper Lectulum incumbens rogavit, quomodo ſe haberet ? eum intuens obmutuit ; Matri autem roganti, ſi nollet patrem alloqui ? reſpondit, *nequaquam adhuc poſſum.* Interjecto ſpatio, Patrem fixis Oculis intuens, *Ora Pater*, inquit, *pro me, ut habeam brevem et facilem Tranſitum.* Pater ejus jam tunc de eo Solicitus, in Genua ante Lectum procumbens, precatus

eſt

eſt Dominum, qui eam ſibi dederat, ut ei facilem Tranſitum concederet, atque nos omnes Suae Voluntati ſubjectos redderet, cum multis aliis in hanc Sententiam ; gratiaſque egit pro Omnibus quae accipimus Beneficiis. Per totum illud Tempus quieta et attenta fuit. Aliquantò poſt à patre rogata, num eſſet Animo tranquillo ? *Imò*, inquit, *prorſùs tranquillo.* Iterum rogata, num aequo Animo Parentes relinqueret ? *maximè* reſpondit, et adjecit, *recipe me apud te Domine* ! poſtea videbatur placido eſſe Animo, ſubinde petens, cum quidquam Turbae in Cubiculo eſſet, ut Omnia tacitè fierent. Itaque ad extremum Vitae Spiritum, Senſibus integris, quietè continuavit ; et circiter Horam nonam poſtmeridianam, Mortalitatem explevit, duodecimo Die tertii Menſis 1713, cum tredecim Annos, quatuor Hebdomadis minùs haberet.

De Georgio Gibſono.

GEORGIUS GIBSONUS fidelibus natus eſt Parentibus, qui, cum eſſet admodùm Invenis, Mortem obierunt ; Ipſe tamen inter Amicos educatus fuit. Deo etiam Viſum eſt eum in tenera Aetate potentèr ſuâ Gratiâ, ſuoque Spiritu donare, à quo maturè ad quaerendum *Regnum Dei ejuſque Juſtitiam* adductus eſt. Cui diligentèr adhaerens, ejuſque Operationes in ſe Expertus, Vitam piam ſobriamque agere coepit, quemadmodùm ſuam Religionis profeſſionem decuit. Haud mediocritèr quoque Deus eum Spiritu *ſapientiae et ſanae Mentis* cumulavit, quo Contradicentes refellere valuit etiamſi Juvenis eſſet. Deo inſuper placuit (qui Simplicitatem et Integritatem ejus Cordis conſpexit) eum vocare ad exercendum *divinum Miniſterium* circiter viceſimum quin-

quintum Aetatis Annum, quod cum magno Timore et Modeſtia aggreſſus eſt. In dicendo Naturâ lentus haud temerè protulit, quae in Animo habuit; et quamvis Vox ei eſſet ſubmiſſa, *vivido tantem Sapore* ejus Miniſterium conditum fuit, quod ſolicitè expetivit, et in quo etiam inſignitèr et utiliter Eccleſiae laboravit. Piam quotidiè Curam habuit, ut *ſuam doctrinam bonis Moribus* adornaret, undè ſibi bonam Famam comparavit ubi degebat, et inter illos etiam qui noſtrae Sectae non fûere.

In ſacro Miniſterio obeundo, multas *Angliae* partes peragravit ; *Hiberniam* quoque et *Scotiam* adiit, ejuſque Labores non ſolùm Tremulis ſed et multis Aliis accepti fuerunt. Hoc praetereà annotandum eſt, quòd cum in Verbo praedicando non verſatus eſſet, magnâ uſus ſit Diligentiâ ad augendam *rem familiarem*, ut haberet unde ſe Suoſque honeſtè ſuſtentaret. Deus autem ita fuit ei propitius, ut in Rebus neceſſariis acquirendis non

fruſtra

fruſtrà ſudavit. De *Liberorum* ejus proſperitate ingentes in Animo verſavit Curas, non ſolùm ut *Rerum Uſus* ipſis ſuppeteret, verum etiam ut *Rerum Creatori* ſe ſubmitterent, ſaepe eos adhortans ut ſuâ tenerâ Aetate Dominum timerent; quod Conſilium, uti ſperatur, iis profuit, iiſque adhuc, ſi ſapiant, erit profuturum.

Circiter primum diem primi Menſis Anno *Aerae Chriſtianae* 1718. *Variolis* correptus eſt, quae gravitèr eum afflixerunt; quam quidem Afflictionem *patientiâ Chriſtianâ*, in Voluntate divina omninò acquieſcens, toleravit. Multis Amicis eum viſitantibus affirmavit ſe eſſe totum ad Voluntatem Dei compoſitum, et quamvis magnos tuliſſet Angores per iſtam Aegritudinem, ſe illos non multùm curare, *Vitam enim ſe* dixit, *habere firmiſſimam*; Praetereà adjecit, ſi Dominus haberet ullum aliud Opus in hoc Mundo ſibi peragendum, nullus dubitavit quin ſe revaleſcere vellet; Sin autem è Vita migrandum eſſet,

Nihil

Nihil Impedimenti in Via ſibi eſſe. Fateor, inquit, magno foret mihi Gaudio vidiſſe meos Liberos jam ſibi fixas habere Sedes; Nihilominùs, non mea Voluntas, ſed Voluntas divina fiat. Ingraveſcente Morbo uſque ad duodecimum Diem Menſis ſupra memorati, jam fermè moriens ejus Filio interroganti, quomodo ſe haberet? paulispèr quieſcens reſpondit, *ſub Gratia reſto, in Poteſtate Veritatis; haec me ſolantur*; quas Voces ubi emiſiſſet placidè hanc Vitam cum coeleſti commutavit, duodecimo die primi Menſis, Annoque à Chriſti Nativitate 1718, in Aedibus ſuis *Thetfordiae* in Agro Norfolcienſi, Annum Aetatis agens quadrageſimum octavum, cum ſacro Miniſterio viginti duobus circitèr Annis vacaſſet; Sepultus eſt in Coemeterio quod ad Noſtrates in eodem Oppido attinet.

Syllabus Nominum.

	Pag.
De *Georgio Foxo*	5
De *Edvardo Burroughs*	8
De *Franciſco Howgill*	14
De *Richardo Hubberthorn*	20
De *Stephano Criſp*	24
De *Johanne Crook*	27
De *Gulielmo Smith*	31
De *Maria Mollineux*	34
De *Joſia Coale*	39
De *Springetto Penn*	46
De *Jona Lawſon*	50
De *Maria Samm*	52
De *Andrea Graham*	55
De *Rogero Gill*	58
De *Roberto Barclay*	61
De *Gulielmo Turner*	65
De *Johanne Tomkins*	68
De *Aegidio Barnardiſton*	74
De *Sara Camm*	76

AP 59

De *Gulielmo Briggins* 80
De *Josepho Grove* 85
De *Johanne Gratton* 88
De *Gulielmo Crouch* 92
De *Samuele Waldenfield* 101
De *Margarita Molleson* 109
De *Johanne Bowsteed* 113
De *Thoma Hains* 117
De *Benedicta Fenn* 120
De *Georgio Gibsono* 126

FINIS.

Errata sic corrigenda.

PAG. 15 lin. 11 pro ; scribe , p. 28 lin. 10 Pro *multa tolervit* lege *multas toleravit.* p. 28 lin. 11 pro *Veritatem* lege *Veritatem.* p. 31 lin. 3 pro *Coemiterio* lege *Coemeterio.* p. 36 lin. 36 pro *ste* lege *iste.* p. 41. lin. 5 pro *Frateres* lege *Fratres.* p. 53 lin. 8 pro *Famaliares* lege *Familiares.* p. 64 lin 14 pro *suam* lege *suum.* p. 72 Dele quinque ultimas Lineas. p. 90 lin. 20 pro *arbritrabar* lege *arbitrabar.* p. 94 lin. 22. pro *aeternum* lege *aeternam.* p. 105 lin. 5 pro *mutoruum* lege *mutorum.* p. 117 lin. 21 pro *folebat* lege *solebat.*

7 AP 59